

LIBELLUS AVICENNAE DE ALMAHAD TRADUCTUS EX ARABICO IN LATINUM, PER ANDREAM BELLUNENSEM.
Capitulum primum de diffinitione almahad, id est de dispositione vel de loco ad quem revertitur homo seu anima eius post mortem.

Almahad quidem in lingua Arabica derivatur ex dictione Arabica alhaud, id est ex reversione, & eius veritas seu eius essentia vel diffinitio est locus, aut dispositio, In qua res aliqua iam fuerit, & ab ea separata ad ipsam postea revertitur. Deinde est permutatum hoc nomen mahad ad dispositionem, aut ad locum, ad quem pervenit homo post mortem: Conveniunt enim sententiae: manifestae, & opiniones plures, quod a re, ad quam pervenitur post mortem, fit separatio ante vitam primam: Plurimae enim gentes opinantur, quod spiritus, vel animae existant ante corpora: & quod fuerint in mundo, qui est secundus ab hoc mundo: & quod reditus earum ad ipsum in perfectis, seu in bene operantibus est ad bonum optimum, quod est paradisu, & locus surpernu: Et in vitiosis, seu male operantibus est ad locum tristem, qui est infernu, & suppliciu: et plurimi ex illis volunt, quod pater hominis, & mater eius adveniant ex illo mundo: Unde continuatur similitudo, & proles rediens ad ipsum. & in libris quidem primis, & in libris prophetarum antiquorum Israeliticorum, & Christianorum testificatur, & confirmatur mahad: Immo in libro Mahaumeti dixit Deus: Veni o anima formosa, redi ad tuum Creatorem, ut praemium meritorum consequaris: & non dixit redi, nisi ad ubi, vel ad locum, seu ad dispositionem a qua venit. Iam ergo diximus, quid sit mahad.

NOTANDUM, quod mahad est nomen commune ad omnem reversionem hominis post mortem, sive sit illa reversio secundum corpus tantum, sicut dixerunt Arabes vanaloquentes, sive sit secundum corpus, & animam simul, sive sit secundum animam tantum, quae revertitur post separationem a corpore ad suum esse simplex, quod habuit ante unionem cum corpore: & in reversione praedicta anima consequitur praemium aut poenam.

¹ Transkription Ali Nikzad, November 2022; Quelle: Andrea Alpago (gest. 1522): De mahad idest de dispositione seu loco ad quem revertitur homo vel anima eius post mortem, gedruckt Venedig 1546 (Nachdruck Farnborough 1969)

AVICENNA

Capitulum secundum de diversitate opinionum circa mahad.

Mundus opinatur de mahad, secundum duas sectas, in quarum altera est minor numerus hominum, qui deficiunt intellectu, & negant ipsum mahad: In altera vero est turba magna hominum, qui habent manifestam cognitionem, & intellectum, & affirmant mahad predictum: et in his quidem cadit differentia: quidam enim attribuunt mahad corporibus solum: quidam vero animabus tantum. Et quidam animabus, & corporibus simul. Qui dicunt mahad convenire solum corporibus, fuerunt de numero Arabum vaniloquentium, qui dixerunt corpus solum esse animal: et quod homo est homo per vitam, & humanitatem in eo generatam: Et quod ambae accidunt ei: & quod mors est privatio earum in ipso, aut eis contraria: Et quod in mundo secundo creabitur vita, & humanitas in illo corpore post eius corruptionem, & comminutionem, et efficietur ille homo idem vivens. Amplius diversificantur Arabes praedicti post hoc, & ramificantur differentes. Dicunt enim quidam ipsorum, quod homines post illud, id est post mortem primam erunt in duplici differentia scilicet virtuosi boni, & vitiosi. Virtuosi quidem praemio, ac beatitudine aeterna afficientur. Vitiosi vero poena aeterna cruciabuntur. Et dicunt alii, quod homines in ea hora, vel in alio mundo erunt tripliciter differentes. Tunc enim homines, qui fuerunt bene credentes, & virtuosi, erunt beati in perpetuum. Qui vero bene crediderunt (A), sed male vixerunt, de his dicitur, quod ipsi sunt in arbitrio Dei, quos punit, ac miseretur eis, si vult, neque aliquid eis in perpetuum imponitur. Et dicunt alii de his, quod non cruciabuntur omnino, neque aliquid eis erit impositum in perpetuum. Qui autem heretici fuerunt, perpetuo supplicio cruciabuntur. De his vero, qui supplicio afficientur bene credentes, videlicet: & male viventes, seu male credentes, ut heretici, dicunt nonnulli, quod rerum poena non erit aeterna: sed in beatis erit beatitudo aeterna. Dicunt alii, quod neque beatitudo, neque supplicium erit aeternum. Dicentes vero mahad convenire animae & corpori simul, omnes isti ponunt vitam causari ex praesentia animae in corpore, mortem vero ex separatione animae a corpore. Et ponunt in alio seculo animam redire in idem corpus, in quo prius fuit, affirmantque animam esse quid spirituosum,

DE ALMAHAD 41

non corporeum. Et aliqui istorum ponunt animam esse corpus subtilius reliquis corporibus. Et dicunt quidam, quod anima, quando redit ad corpus, sive fuerit beatus quis, aut damnatus, erit omnis beatitudo, aut poena ipsius secundum corpus, & animam simul. Et quod beatis erit delectatio corporalis ex sensibus: & delectatio animae erit ex gaudio, & intuitu angelorum oculo intellectus, & securitate a poena, & eius privatione. Et isti quidem sunt Maumethani omnes: & damnatis erunt laesiones, vel passiones corporeae a calore, & frigore. Et passiones animales ex elongatione, & tristitia, & timore, & desperatione. Et dicunt alii, quod delectationes in illa hora, seu in alio seculo erunt spirituales solum: & similiter passiones. (C) Et qui hoc affirmant sunt Christiani plurimi. Amplius diversitas de beatitudine, aut poena aeterna, aut non aeterna iam reperitur in istis, sicut in primis. Dicentes autem, quod mahad attribuitur animae solum, diversa opinantur. Quidam enim eorum dicunt, animam esse corpus. Et quidam ipsorum affirmant animam esse substantiam lucidam procedentem ex mundo lucis permixtam corpori, quod est substantia obscura, vel tenebrae generata ex mundo tenebrarum. Et isti quidem sic opinantes (D) insequuntur sectam Almagius, & Alenuiae, & eorum qui incedunt via ipsorum: foelicitas enim, & beatitudo apud eos est liberatio, seu separatio lucis a tenebris, & eius penetratio ad sidera coelestia, & eius exitus ex hoc mundo tenebrarum ad mundum lucis. Infoelicitas vero, & cruciatus est permanentia ipsius lucis in mundo tenebrarum. Et quidam volunt illud inesse ipsi animae per reiterationem in corporibus. Et sunt insequentes opinionem alenasach. Quidam vero volunt poenam, & cruciatum inesse ipsi animae ex retentione ipsius, vel eius incarceratione in mundo elementari: Et beatitudinem & ei accidere ex liberatione ab eo. Quidam autem alii volunt, foelicitatem, ac beatitudinem inesse ipsi animae ex perfectione substantiae ipsius, & liberatione eius, vel ex immunitate eius ab intensis naturae impressionibus in ea, id est ab impressionibus sensuum in ea: ita, quod sensus non dominantur in ea: & ex dispositione contraria ipsius inesse ei infoelicitatem, & poenam. Et tenentes hanc opinionem fuerunt philosophi clarissimi. Sequentes autem opinionem Avicenna

AVICENNA

Altenasach diversa sentiunt. Quidam enim eorum concedunt reiterationem, vel permutationem animae in omnibus corporibus, sive sint vegetabilia, sive animalia. Et quidam eorum concedunt illud in corporibus animalium tantum. & quidam non concedunt animam humanam ingredi in aliam speciem ab homine diversam. Et post hoc inter istos sunt duae differentiae. Quidam enim dicunt necessariam esse Altenasach, id est permutationem animae de corpore in corpus ipsi animae vitiosi tantum, donec perficiatur talis anima, & disponatur, ut a materia (G) liberetur. Et quidam eorum dicunt permutationem praedictam necessariam esse animae vitiosi, & animae virtuosae simul. Animae enim malignae vitiosi permutantur in corpora, quae defatigantur, & laborant. Animae vero virtuosorum permutantur ad corpora, quae gratiam habent, & quietem. Et dicunt (H) aliqui affirmantes opinionem Altenasach, & credentes in libro Alchorano Maumethi, quod intentio sermonis ipsius Maumethi affirmat illud, quando dixit: animalia progredientia super terram, & aves cum alis suis volantes, non sunt, nisi turba copiosa, similis nobis, communicans nobiscum in animabus ipsorum. Et dixerunt quidam ex eis etiam, quod in libro Maumethi scriptum est, quod donec camelus penetrabit per foramen acus, non cessabit anima vitiosi permutari de corpore in corpus subtilius eo, quousque clarificetur, & fiat in modo, ut perveniat, seu permutetur in corpus vermibus parvi corporis, ita ut possibile sit ei, ut penetret per foramen acus, postquam fuit in corpore cameli. Illud autem, quod verificatur de mahad, secundum opinionem Altenasach ex sermonibus sapientum metaphoricè, vel allegoricè loquentium, est, quod anima quaelibet non virtuosa permutatur a corpore suo in corpus simile naturaliter in vitiis dominantibus super eam, donec liberentur a materia. Anima enim, cuius vitia sunt in capitulo vitiorum appetitus, permutabitur, sicut ad corpus suis, seu porci: cuius vero vitia sunt in capitulo irae, permutabitur in corpus leonis, vel animalis rapacis. Ita ut si homo habuerit vitia usurpantis aliena: & habuerit artem fullonis: permutabitur in corpus piscis. Et si fuerit venator, permutabitur in corpus speciei illius animalis, quod venatur. Et quandoque dixerunt, quod anima non virtuosa in partibus austri & septentrionis, cum superfluo

DE ALMAHAD 42

frigore, & aestu cruciabitur. Hi igitur sunt sermones sapientum qui per parabolas, & metaphoras locuti sunt, ut magis proximi sint intellectui gentium, seu populorum. Et ut sit illud causa divertendi eosa vitiis: Si enim doceantur & praedicatum fuerit eis de foelicitate, seu beatitudine vera. Et de cruciatio & poena vera, secundum, quod res se habet in veritate, non percipient aliquid de ea penitus. Immo iudicabunt in principio doctrinae, quod illa omnia sint de numero impossibilium: hoc ergo est, quod sentiunt homines de mahad.

Declarationes super capitulo secundo, de diversitate sententiarum, seu opinionum de mabad.

(A) DE HIS DICITUR, quod ipsi sunt in arbitrio Dei & c. Id est, & aliqui eorum, qui attribuunt mahad solis corporibus, putant, & dicunt, quod ipsi sunt in arbitrio Dei & c.

ET DICITUR, quod ipsi non cruciantur omnino & c. Id est & dicitur a quibusdam eorum, qui attribuunt mabad corporibus tantum, quod ipsi non cruciantur omnino & c.

ET DICITUR, quod in cruciatio non continuatur cruciatio eius & c. Id est & dicitur a quibusdam de secta supradicta, qui ponunt solis corporibus convenire, quod in cruciatio non continuatur & c.

ET DICITUR, quod neque cruciatus & c. Id est & dicitur a quibusdam de praedictis, quod neque cruciatus & c.

(B) ET ISTI SUNT Maumethani omnes. Nota quod omnes Maumethani credunt in alia vita esse usus ciborum, & venereorum, quia in libro Alcoran ita scriptum est, ut in sequenti capitulo patebit.

(C) ET ISTORUM plurimi sunt Christiani. Notanter dixit plurimi, quia sanctus **Augustinus** in lib. de civitate Dei videtur velle, quod beatitudo in alia vita sit potius spiritualis, quam corporalis: Unde Sanctus Mattheus apostolus cap.xxii. dicit, quod homines in alia vita non nubent neque nubentur sed crunt sicut angeli Dei. Verum theologi moderni, sicut **Scotus**, & Sanctus **Thomas**, & alii affirmant, quod virtute divina erit in organo cuiusque sensus, ita humiditas causans delectationes in unoquoque sensu, & sic sensus erit in actu, & delectatio erit non solum spiritualis, sed etiam corporalis, & tamem non erit usus ciborum, neque venereorum. Aliter exponitur. Christiani plurimi, supple qui ponunt beatitudinem, & poenam esse spiritualem solum esse spirituales principaliter, secundum animam solum.

(D) SECTA ALTHENVIE, & secta Almagius, & secta Almanvei in hoc conveniunt, quod lux: et tenebrae sint principia rerum naturalium, & secta Althenvie ideo appellata est althenvie, quia posuit, et affirmavit duo tantum esse principia rerum naturalium, **nam etnez** Arabice idem

AVICENNA

est, quod duo. Unde secta althenvie idem est, quod secta, quae ponit duo esse principia tantum.

ET QUIDAM ipsorum volunt illud scilicet beatitudinem et penam (E) nam inesse ei scilicet animae cum reiteratione in corporibus & c.

ET QUIDAM volunt illud scilicet beatitudinem, & poenam inesse ipsi scilicet animae cum perfectione ipsius in subsubstantia, & liberatione & c. & isti sunt sapientes clarissimi. Nota, quod sapientes clarissimi, qui hoc posuerunt, fuerunt **Plato, Socrates**, & similes, dixerunt enim beatitudinem, & foelicitatem esse, quando anima acquiverit scientias speculativas, & practicas, & quod anima ultra hoc habeat habitus morales ita, quod anima libera sit ab impressionibus materialibus, puta a sensibilibus taliter, quod anima non dominetur a sensibus. Sed quando anima habet dispositionem contrariam, puta quod sit privata habitibus scientificis, et practicis, et habitibus moralibus, & sensibilia imprimunt in animam, & sensus dominantur rationi. Unde anima fit vitiosa, tunc ipsa est infaelix. Et secundum istos philosophos infaelicitas est in hoc mundo sicut in alio: Verum in alio mundo erit intensior. Et quidam etiam philosophi de secta Maumethanorum tenent, quod anima ignorantium nullam habebit foelicitatem ex hoc, quod talis anima est imperfecta, ignorans, non disposita recipere cognitionem & beatitudinem a Deo.

Notandum quod opinio althenasach ideo sic denominatur, quia nasach arabice idem est, quod permutatio rei de una dispositione ad aliam, seu de uno esse ad aliud, quare opinio, quae tenet animas permutari de corpore ad corpus, denominatur althenasach.

DONEC PERFICIATUR talis anima, & disponatur ut a materia (G) liberetur & c. Sciendum secundum opinionem istorum, quod anima vitiosa non est disposita, ut a corpore, & a materia liberetur, & separata a corpore revertatur ad suum creatorem, et ad suum principium, quia secundum istos anima non unitur corpori, nisi, ut mediantibus sensibus organicis acquirat cognitionem, & scientiam, & habitus morales, & virtuosos. Anima ergo virtuosa, & scientifica separata a corpore cum sit perfecta, non oportet, ut praemutetur ad aliud corpus, sed revertitur, et vadit ad suum principium, & unitur cum eo, & tunc complete habet foelicitatem. Sed anima vitiosa non cessat permutari de corpore ad corpus, donec perficiatur, scilicet relinquendo habitus vitiosos, & acquirendo habitus virtuosos, nam anima quae fuit vitiosa in aliquo corpore, potest effici virtuosa in alio corpore, & per talem permutationem de corpore ad corpus aliud potest perfici, & disponi ita fit apta separari a materia, & reverti ad suum creatorem, & cum ipso uniri, & perfectam foelicitatem acquirere.

ET DICUNT aliqui affirmantes opinionem althenasach, & credentes (H) in libro Alchoran Maumethi & c. Nota quod aliqui Maumethani affirmant

DE ALMAHAD 43

altenasach praedictum ex dictis Maumethi in libro Alchoran, scriptum est enim ibidem quod animalia progredientia super terram, & aves non sunt nisi turba magna similis homini communicans, hominibus in animabus ipsorum: sed talis communicatio brutorum, & avium cum hominibus in animabus ipsarum non potest esse, nisi fiat permutatio animae hominis ad corpus animalium brutorum & avium & c. quare secundum dictum Maumethi opinio altenasach est vera. Item scriptum est lib. Alcoran praedicto, quod anima vitiosi non cessabit permutari de corpore ad corpus, quousque camelus penetrabit per foramen acus, ita, ut anima vitiosi permutetur de corpore hominis ad corpus cameli, & de corpore cameli ad aliud animal, quousque permutetur ad corpus vermis parvi corporis potentis penerare propter sui paruitatem per foramen acus: & sic talis anima vitiosi non cessabit permutari de corpore ad corpus, donec camelus penetrabit per foramen acus, & sic ex dictis Alchoran apparet opinionem althenasach esse veram.

(I) ILLUD AUTEM quod verificatur de mahad ex sermonibus sapientum & c. est quod anima nos virtuosa & c. pro declaratione textus sciendum, quod circa althenasach varii varia dixerunt, sed illud, quod verificatur de mabad secundum viam althenasach ex sermonibus sapientum, id est sermo verus de mahad secundum viam althenasach est sermo: quem sapientes philosophi dixerunt: scilicet quod anima nos virtuosa permutatur a corpore suo ad corpus simile naturaliter in vitii & c.

Nota quod in fine capituli sequentis ubi Avicenna reprobatur opinionem althenasach declaratur, qualiter sermo, quem dixerunt sapientes philosophi, sicut **Plato, & Pithagoric**, non affirmat althenasach, sicut sonant verba: quia illud, quod praedicti philosophi dixerunt, est sermo methaforicus, qui non est verus, nisi secundum sensum & intentionem, quam Avicenna ibidem declarat, scilicet quod intentio praedictorum philosophorum est improbare habitus malos, & mores malos in animabus hominum existentes: Si enim virtutes sensitivae, & sensibilia dominaverint super rationem ita, quod in anima sint impressa vitia, & habitus mali, tunc talis anima separata a corpore remanet cum tali habitu malo vitioso, ac si esse in corpore animalis bruti vitiosi: ita, quod anima luxuriosi, gulosi, separata a corpore en taliter habituata vicio gulae & luxuriae, ac si ipsa esset in corpore porci: et anima irascibilis, ac si esset in corpore leonis non quod talis anima actualiter, & verae permutetur ad corpus porci, aut leonis, sicut sonant verba philosophorum praedictorum.

Nota quod quidam tenentes althenasach realiter non methaforice dixerunt, quod non solum anima intellectiva permutatur realiter in corpus vilissimum. Immo etiam divinitas quandoque apparet in forma humana, & unitur corpori humano, sicut corporibus prophetarum. Et secundum hanc opinionem

AVICENNA

non est absurdum, quod in Christo fuerit simul natura humana, & natura divina.

Capitulum tertium de reprobatione opinionum falsarum circa mahad.

Secta eorum qui posuerunt mahad soli corpori inesse, mota est ad illud ponendum per ea, quae in lege vel fide qualibet affirmantur de resurrectione mortuorum. Et sequentes (A) hanc sectam opinati sunt, quod aliquid consideratum secundum essentiam hominis, sit corpus: postea ad hoc pervenerunt ipsi ex odio suo excessivo erga sapientes, & nimia inclinationes animi sui ad ea, quae diversa sunt ab opinione sapientum, ut negaverint animam, aut spiritum esse omnino. Et dixerunt quod corpora efficiuntur viva per vitam in eis generatam: & quod vita non existat, per praesentiam animae in corpore, sed quod ipsa vita sit accidens de numero accidentium in eo generatum. Et (B) quoniam praedicta opinio in dictis fidei, vel legum fundatur, ideo pro detestatione illius, oportet in fide & legibus traditis adeo per prophetas scire canonem, qui talis est. Quod fides, & lex data hominibus per aliquem prophetarum, non est revelata, nisi secundum viam & doctrinam, quam gentes omnes percipiant: & ei assentiant. Amplius [scire debes] quod veritas in quam fundari oportet devnitatem vera creatoris artificis unici liberi, seu denudati a quantitate, & qualitate, & loco, et tempore, & situ. Et ab alteratione, ita, ut sit credulitas de sua essentia, quod sit una, quae non potest habere societatem in specie, neque partem existentem quantitativam, aut intentionalem, neque est possibile, ut ipsa Dei essentia sit extra mundum, neque intra mundum, neque est secundum modum, quod sensu verificari & demonstrari possit, quod ipsa sit hic, vel illic: talis dico veritas praedicta non potest gentibus manifestari. Et si pronunciarentur ista, secundum hanc formam apud Arabes Sylvestres, & Hebraeos hebetis ingenii, tunc ipsi attestarentur illud esse mendacium. Et convenirent affirmantes credenda sic pronunciata, & praedicata non existere. Et falsa omnino esse assererent. Et propter illud datus est liber althaura, id est liber veteris legis totus metaphoricus, seu figuratius, & per similitudines. Amplius in libro Alcorano Maumethi, non docetur aliquid

Margin: Alia, litera ex notis manifestis est.

DE ALMAHAD 44

distincte manifestans, & declarans hanc rem difficilem, neque in eo scripta est declaratio, quae requiritur de unitate Dei, manifestatione distincta. Sed scripta sunt aliqua, secundum viam similitudinis, in his quae apparent ad extra secundum sensum. Et quaedam data sunt abstracta, communia valde non propria. Quae quidem propria non possunt exponi, seu manifestari. Illa vero, quae secundum similitudinem dicuntur de Deo, sunt multo plura, quam possint numerari, sed quidam non recipiunt ea, Et cum res circa unitatem Dei sit haec, vel se habeat hoc modo qualiter ergo erit in his quae sunt post ipsam de rebus quas credere debemus. Quidam vero homines dixerunt, quod ea quae pronunciantur similitudinaliter. Sicut manus, facies, adventus in umbra nubium. Et deambulatio eius, & risus, sunt vera. Tamen secundum quod accipiuntur, & secundum viam considerationis significant, quod tales sermones accipiuntur, & dicuntur similitudinariae, & metaphoricæ, aut significant, quod non accipiuntur metaphoricæ, neque similitudinariae, sed accipiuntur secundum veritatem sicut sunt. Et de locis seu dictis quidem quae sunt adducta ad demonstrandum, quod Arabes accipiunt istas intentiones metaphoricæ, & in parabola, secundum aliam intentionem ab ea, quae apparet in sermone: quaedam sunt loca, seu dicta, in quibus est conveniens, ut accipiantur, secundum hunc modum. Et de hoc non est dubitatio in eis, neque ambiguitas. In sermone autem, cum dicitur Deus veniet in umbra nubium. Et in sermone alio, non videbunt Deum nisi angeli venient ad eos, aut creator tuus veniet. Et in similibus sermo nibus praedictis. Et in eis quae currunt cursu ipsorum, non incedit, vel non pervenit cogitativa omnino ad hoc, quod consideratio sit secundum metaphoram, & similitudinem. Quod si volverit aliquis addere ad maiorem intellectum, & non referre ad ipsum Deum, ita quod illa dicta sint metaphoricæ. Et referantur, non ad Deum, sed ad eius nuncium, vel prophetam: tunc accidit error, ex similitudine, vel ex metaphora, & erit credulitas extorta non recta, in credendo ea quae sunt tradita, sicut verba sonant, & secundum sensum literae exteriorum. Sermo autem, cum dicitur manus eius super manus ipsorum. Et sermo etiam alter, qui dicit, non separatur, a latere Dei,

Margin: Sanctus Augustinus in homelia evangelii in principio erat verbum & c. Dixit nam dicere de Deo quis potest? Audeo dicere **fratres** mei forsitan nec ipsam Iohannes dixit, ut est: sed & ipse ut potuit, quia de deo nemo dixit & c. quare ex istis dictis verificatur, quod ea quae sunt deo propria non possunt ab aliquo homine **exprimi**.

Avicenna

sunt sermones metaphoricis similitudinarii. Et dicti ex amplitudine sermonis, neque duo ex Arabicis sapientibus eloquentissimus dubitabunt in hoc, neque habentes cognitionem in lingua Arabica dubitabunt, si ait in verbis primis. Immo sicut in verbis primis, vel in exemplis primis, non est verisimile, quod cadat parabola, similiter in illa non est verisimile, quod non cadat parabola, vel non sit parabolica locutio. Et non intenduntur in ea res alia ab ea, quod verba sonant. Amplius concessio, quod haec omnia supradicta sint accepta secundum parabolam, qualiter ergo, erit sermo manifestans unitatem Dei puram, quam leges, & omnes sapientes verificant. Et qualiter erunt sermones manifestantes sermones subtiles pertinentes ad scientiam de unitate Dei; sicut an sit sciens per scientiam, & potens per se, an per potentiam. Et unum per se super plura attributa, aut recipiens plura elevatus, seu remotus ab eis quolibet modo, ubificatus per se, aut expoliatus, a sitibus. Et partibus quoniam non evacuatur quin sint istae intentiones exigentes verificationem suam. Et conseruantes viam in qua est veritas, vel conseruantes viam, vel opinionem verum, aut licitum est retrocedere ab istis intentionibus, & se abstinere ab huiusmodi perscrutationibus². Quod si perscrutatio de huiusmodi est licita, & accidit error in ea, tunc credulitas cadens in ea non est vituperabilis, Isti ergo qui perscrutantur has intentiones, multum laborant, & possunt excusari ab hoc labore. Quod si praesupponatur, quod perscrutationes sint necessariae, tunc oportet, quod sint ex eis, quae sunt clare in lege. Nam declaratio obscura, et brevis, non est pertinens, ad credulitatem, & significationem. Immo declaratio, quae exigitur in ea, est illa quae concitat, & allicit homines, & quae docet veritatem, & conditionem rerum intentionalium. Illi vero qui occupant, & expendunt, seu consumant noctes & dies suos, & horas suae aetatis in elevando mentes suas: & in subtiliando ingenia sua, ut speculando, & contemplando discernant veritatem, & habeant cognitionem distinctam, indigent ad intellectionem intentionum supradictarum de Deo excellenti manifestatione, & expositione considerativa. Qualiter ergo se habebunt Hebraei ignorantes, & Arabes, qui circa camelos versantur. Et iuro per vitam meam. quod si Deus mitteret aliquem prophetam, ut praedicaret,

² در آکسفورد و دیگران perscrutatio هست. البته perscrutatio یک جاهایی هست.

DE ALMAHAD 45

et annunciarer veritatem harum rerum populo rudi, valde grosso, quorum cognitio est dependens a sensibilibus puris, vel quorum cognitio versatur circa pura sensibilia. Et praeciperetur huic populo, quod continue crederet, & obediret absque temporis interpositione: Deinde praeciperetur etiam a propheta praedicto, quod animae omnium hominum continue exercitarentur, donec essent dispositae ad considerationem intentionum supradictarum, & ad appraehensionem ipsarum: Tunc imponeretur eis gravissimum onus ad operandum illud quod non est in virtute hominum, nisi proprietas. Et virtus divina, & impressio coelestis faceret eos appraehendere, sed tunc excusaretur a missione prophetarum: Et adventus eorum, non esset necessarius. Amplius praesupposito, quod liber Alcoranus sit traditus in Idiomate Arabico, & consuetudo Idiomatis illius sit loqui similitudinarie, & metaphoricе. Quid ergo dicetur in libro hebraico. Id est in libro veteris testamenti. Quiquidem liber totus a principio, usque ad finem est sermo metaphoricus purus. Si quis autem obiiceret, dicendo, quod liber praedictus sit totus depravatus, quaerendum esset qualiter depravati essent omnes libri praedicti hebraici sparsi inter gentes, quae numerari non possunt, & quarum regiones sunt longinquae, & phantasiae diversae. Et quibus quidem gentibus, quidam sunt Iudei, & quidam Christiani. Et ambae istae gentes, sunt ad se invicem contrariae. Quare manifestum est ex his omnibus, quod leges tradite sunt populom cum illis rebus, quas populus ipse intelligit, & cum his quae sunt propin quae rebus, quas non intelligit, scilicet cum exemplis, & similitudinibus. Et si leges fuissent traditae alio modo, tunc frustra fuissent leges omnino. Qualiter ergo ea quae in legibus tradita sunt per exteriora nobis apparentia, scilicet per similitudines nobis apparentes, concludere aliquid possunt in hoc capitulo. Scilicet, quod mahad conveniat solis corporibus. Et si praesupposuerimus res alterius mundi spirituales, non corporales, remotae ab hoc ut essentiae suae appraehendantur mente: tunc non erit via in lege ad alliciendum homines ad ipsam, & ad timendam eam, quae quidem via incitet homines ad ipsam legem, cum aliquo signo, vel aliqua demonstratione. Immo non fit talis incitatio, nisi cum aliquo modo exemplificationum,

Avicenna

& similitudinum. quae sunt proximae cognitioni hominum. Et quomodo esse alicuius rei est demonstratio ad concludendum esse rei alterius. Licet enim non esset res alia secundum dispositionem praesuppositam: tamen res prima esset secundum suam dispositionem. Haec igitur omnia supradicta sunt sermones, ad docendum homines scientia excellentes, non vulgares, quod sensus exterior legis, ut verba sonant, est non necessarius, neque utilis ad concludendum aliquid in his capitulis. Quare redeamus ad intelligibile purum, & dicimus quod homo non homo per materiam suam, sed per formam suam existentem in materia ipsius. Et non sunt operationes hominis procedentes ab eo, nisi propter praesentiam formae in materiae, cumque removetur forma a materia sua, & redierit, vel premutata fuerit materia eius in terram, aut in rem aliam: tunc iam destruitur ille homo, idem postea quando producitur in illa eadem materia alia forma humana nova: tunc advenit: vel resultat ex ea homo alius, & non ille homo, qui prius erat. Nam in hoc secundo illud quod invenitur de his quae erant in primo, est materia sua, & non forma ipsius. Et iste homo secundus, non est ille, qui prius erat, neque ille qui erat laudandus, aut vituperandus, neque meretur praemium, vel beatitudinem, aut poenam per materiam suam, sed per formam suam. Et per hoc, quod est homo, & non per hoc, quod est terra. Quare manifestum est, quod homo beatus, & damnatus, non esset ille homo idem, qui bene operatus, aut male operatus est: Immo esset homo alius communicans ei in materia, quam prius habebat. Non erit ergo ista resurrectio corporum, vel ista reversio corporum praedicta faciens pervenire beatitudinem ad eos qui bene vixerunt & poenam ad eos, qui male vixerunt. Immo beatificabitur alius ab eo, qui bene operatus fuit: & punietur alius ab eo, qui male operatus fuerit. Sermones igitur magis remoti, ab eo, quod est conveniens in re mahad, sunt illi, qui posuerunt ipsum mahad soli corpori convenire. Illi vero qui posuerunt spiritus, (D) vel animas remanere. Et ipsis distribui praemium verum, aut poenam veram remanentibus ipsis animabus eisdem, et non renovari super eas corpus, nisi sicut renovatur aliquod accidentium super substantiam per se existentem: opinati sunt falsum. Et ipsorum opinio apparebit non firma, seu non recta si praecesserint

Margin: Additio cuiusdam doctissimi. Adhoc argumentum potest **renderi** iuxta varias opiniones doctorum. Et primo iuxta mentem **Platonis**, qui tenet hominem esse solum animam intellectualem & corpus esse animae **istorum**. In hac opinione homo revertitur idem numero, quoniam anima informat diversa corpora, & diversas materia si diversis temporibus: & quoniam anima est eadem numero, idem homo numero revertitur. Iuxta viam **Averrois** anima sola est de quidditate compositi: partes vero materiales hominis **fluunt**, & **refluunt** ut ipse tenet primo **degeneratione** commento. **3&**. In

DE ALMAHAD

haec praesupposita, vel praemissa. Et scitum fuerit, primo quod stante illa opinione, tunc materia in rebus factis existens, non esset sufficiens in dividuis animae existentibus a corpore separatis, tempore resurrectionis, vel unionis animae cum corpore. Aut scitum fuerit secundo, quod a[iudicium divinum st unum non permutabile]a cursu praedestinato. Aut scitum fuerit tertio (E), quod beatitudini verae hominis contrariatur existentia animae in corpore ipsius: & quod delectationes corporales sunt aliae a delectationibus veris. Et quod dum anima existit in corpore, paenam consequitur. Aut scitum fuerit quarto, quod res plurimae que de side revelatae fuerunt in hoc loco, seu in hac vita, cum intelliguntur sicut publicantur, sunt vana & falsa. Cognitio autem primi manifestatur apud declarationem operationis divinae: Et iam verificavimus illud in scientia divina, & naturali. Et cognitio quidem secundi manifestatur cum declaratur, quod primum ens per se existens est expoliatum ab omnibus speciebus alterationum, & permutationum: & quod operario eius procedens a iudicio suo, & voluntate sua, est conformis iudicio suo aeterno, & praedestinato, & voluntati suae aeternae determinatae. Et iam certificatum est hoc in scientia divina. Pro cognitione autem tercii faciam capitulum proprium. Cognitionem vero quarti sapiens ex se percipit absque doctrina, & non est quidem conveniens ut manifestetur illud ignorantibus ne apprehendant leges veras oculo ambiguo, aut mente ambigua eas vilipendente, cum ipsae leges verae, absque omni vilipensione et ambiguitate firmiter sint credendae. Nam illi quibus tributa fuerit appraehensio sapientiae, & non festine negaverint ea, quae per apparentia, & sensibilia convenientissime revelata fuerunt, & non vituperaverint ea quae non sunt manifesta, in quibus intentio vera est occulta & intrinseca, a sapientibus. percepta. Cognoscent tandem manifeste que ad fidem pertinent praecipue, quando fides revelata fuerit, secundum hanc formam, vel secundum hanc conditionem, scilicet quod intentio vera in eis, quae affirmantur & publicantur, est occulta, & haec quidem conditio est una de conditionibus maximis fidei, vel legis verae, quae revelatur. Secundum formam veram, aut secundum similitudinem seu metaphoram, in qua homo sapiens non dubitat sicut dubitat in fide, vel lege Almagius & Altheniae,

Margin: hac via dicendum esset eundem hoiem redire quo ad animam intellectivam, quae est de hominis quod ditate, licet partes materiales, & ipsa materia assidue varietur (quidquid sit de hominis cogitativa.) Apud vero sacros doctores dicerem materiam illam radicalem contracta a principiis generationis conservari a Deo iuxta eius omnipotentia, sic redit individuum idem numero in resurrectione.

Margin 2: Alia litera. operatio divina est una non permutabilis.

Avicenna

quia talis fides, vel lex Almagius revelata fuit secundum modum, & formam, quod ea quae publicata sunt in ea, extrinsece, & quo ad sensum apud ignorantes videntur vera. Sed intentio intrinseca & occulta, quo ad intellectum rationalem est falsa. Et haec forma, & conditio revelandi fidem & legem, est conditio praecipua fidei vel legis corruptae, & falsae, quae non provenit, neque emanat, a gratia divina. In fide enim, vel lege Almagius praedicta dicitur, quod ex luce provenit bonum, & tenebra malum. Et quod lux, & tenebra tantum sunt duo principia omnium. Et haec quidem dicta extrinsece. Et quo ad sensum videntur vera sed intrinsece apud sapientes sunt falsa. Ex premissis igitur apparet falsitas opinionis praedictae. Et manifestabitur etiam, cum declarabitur falsitas opinionis Altenasach, & cum affirmabitur impossibilitas reversionis, vel reunionis animae separatae ad corpora. Et nos declarabimus illud in loco convenienti. Verum nos hunc locum non dimitemus absque (I) aliquo signo declarationis, contradicendo eis etiam qui posuerunt mahad convenire corpori, & animae simul. Et quod anima in resurrectione reunietur eidem materiae, & eidem corpori, cum quo prius erat unita. Dicamus ergo, quod non est possibile, quin aut anima, revertatur ad materiam, a qua fuit separata, aut ad materiam aliam. Et iam dictum est, in narrationibus, opinionis eorum, qui loquuntur de hoc capitulo, quod ipsi volunt reversionem animae fieri ad illam eandem materiam, a qua fuit separata, & tunc non evacuatur quin **sit** illa materia, quae aderat in morte, aut sit totalis materia, cum qua fuit coniuncta anima toto tempore vitae primae. Quod si fuerat materia illa, quae (K) aderat in hora mortis tantum: tunc est necessarium, ut resurgat aliquis vulneratus, nasum habens abscissum, aut aurem, aut nasum, secundum quod fuit in bello in hora mortis eius, secundum illam dispositionem. Et hoc est erroneum apud eos. aut quod resurgant omnes partes eius, quas habuit toto **tempore** vitae suae. & tunc oportet ex illa opinione, ut corpus unum, & idem resurgat cum eisdem membris, scilicet manu, capite hepate, & corde, & cum eisdem partibus membrorum. Et hoc est falsum et impossibile, quoniam veritas firma est, quod membra continuo resoluuntur, & restaurant. Et quod partes membrorum continue resoluuntur, permutantur in nutritione.

DE ALMAHAD

Et quaedam eorum nutriuntur, ex nutrimento alterius superfluo, & sic est impossibile, quod resurgat idem corpus cum eisdem membris, & cum tota materia, quam habuit toto tempore vitae suae. Aliter enim homo cum membris suis resurgeret cum quantitate excessiva, sicut mons. Et est necessarium ex illa opinione, quod homo nutritus ex carne humana in regionibus, in quibus dicitur, quod homines comedunt homines, postquam creverit, & ad augmentum perfectum pervenerit ex nutrimento carnis humanae, non possit resurgere. Quoniam substantia partium eius, quae fuit substantia alterius, resurget in alio, aut ipse resurget, & deficient partes alterius, qui comestus est. Quare ipse comestus non resurget. Et si dicunt, quod partes in resurgente (L) erunt partes principales, seu substantiales, quibus verificatur, vitam eius constare, istud non valet. Et in hoc dicto non evadunt ab inconvenienti. Iam enim apud eos ordinatum est, & aequum est, & conveniens, ut pro vita hominis, quaedam partes ipsius sint partes substantiales, & radicales vitae. Et quaedam earum sint coadiuvantes ad vitam non substantiales. Et si dicunt, quod fiat resurrectio ex illa terra [vel] ex terra alterius aequaliter indifferenter: Iam (Alia litera &) (M) tollunt, & remonent iudicium iustitiae, quam ipsi ponunt in resurrectione membrorum corporis, nisi ipsi ponant partes appropriatas resurrectioni habere proprietatem intentionis, quae quidem intentio ab eis fuit remota, & talis intentio est. Quod partes ipsae in tempore, vel in dispositione vitae prioris, erant materia partium substantialium vitae. Sed iste (N) sermo, qui sine ratione aliquas partes corporis consimiles appropriat resurrectioni, & aliquas earum non appropriat: est sermo non verus, qui ponit privationem intentionis praedictae, esse causam, quod aliquid habiturum sit, & debeat suscipere intentionem, & aliud ab eo, scilicet non habens privationem intentionis, non sit habiturum, nec debeat suscipere illam intentionem. Et dispositio quidem privationis rei [factae, & rei possibilis in esse existere, quae tamen non existit,] est in materia una, recipiente ipsam, scilicet privationem, quia non est maior ratio de una materia, quam de alia. Et tu quum consideraveris, et perscrutatus fueris, apparebit

Margin: Alia litera. existentis, aut privationis rei futurae non existentis.

Avicenna

tibi, quod plurima eorum, quae sunt super faciem terrae, sunt corpora mortuorum expoliata ab anima, & terrestificata, super quae incessit aratrum. Et in eis seminata sunt semina. Ex quibus fiunt, & producuntur cibaria, & sic fit nutritio, cum cibatione cadaverum corporum aliorum, vel cum cibatione materiae, quae fuit sub forma corporum aliorum. Quomodo ergo est possibile, quod materia, quae in duobus temporibus fuit subiectum formarum duorum hominum, resurgat simul in una hora, absque divisione ipsius materiae. Cum materia ipsa ex se, non sit divisibilis. Quod si dicat aliquis, quod anima reunietur corpori composito. Ex quacunque terra, & ex quocunque aere, aqua, & igne contigerit, & quod non est conditio, seu non est necessarium, quod sint in illo corpore resurgente praedicto. Illa eadem elementa, vel eadem partes elementorum, quae erant in vita prima: tunc talis sermo est idem, quod sermo Altenasach manifestae, Et sermo quidem primus etiam (Q) est sermo Altenasach realiter, licet apparenter. Et secundum modum loquendi videatur disserre, & aliter se habere. Nam veritas est, quod non est differentia inter (R) duas materias, & inter duo elementa similia, seu inter duas partes elementorum similes, in quarum unam fuerit forma humana, qua nunc est privata, & in altera non fuerit forma humana. Sed nunc induat formam humanam, & suscipiat eam, scilicet in hora informationis, & reunionis animae in vita secunda, vel in alio seculo. Et si redit, seu reunietur spiritus, vel anima cum una duarum materialium, sequitur opinio Altenasach. Similiter fit Altenasach verum. Si uniat anima ad alteram materiam. Cum corpus humanum secundum, non sit corpus humanum idem, quod prius erat, & reversio sive unio spiritus, seu animae ad corpus aliud, a corpore primo est Altenasach verum, id est, est ponere permutationem animae de corpore in corpus vere fieri, sicut posuit Altenasach. Quod si volunt, & eis placet, ut per nomen Altenasach, intelligatur permutatio animae ad corpus, quod non communicat cum corpore primo in materia una numero, sicut ipsi affirmant in sermone suo, tamen intentio in eis est una omnino diversa. (S)

DE ALMAHAD

(T) Loquentes autem magis debiliter in hoc sermone, vel in hac consideratione de mahad sunt christiani. Et declaratio huius est, quod leges divinae, quae sunt traditae per Maumethum, sunt traditae & revelatae meliori modo, & magis perfectae, quam sit possibile tradi & revelari. Et propter hoc fuit conveniens ut ipse Maumethus denominaretur sigillus legum: et ultimus prophetarum, & si sermo manifestans perfectionem huius legis, & nobilitatem eius, & manifestans defectum legum praecedentium, & diminutionem earum, a nobilitate istius legis Maumethanae non esset impertinens huic loco, & non pertineret ad intentionem alteram: diffusum circa hoc facerem sermonem sed illud, quod ex tota summa istius legis Maumethi, oportet assumere, & scire in hoc loco, est opinio eius digna de mahad. Dixit enim Maumethus in libro suo Alchorano ubi loquitur de mahad. Iam declaratum esse, quod melior & dignior intentio legum divinarum est pars practica, quae est de operationibus hominis, ita, ut unusquisque operetur bonum in seipso, & in eis quae communicant secum, in specie, & genere. Dixit etiam, quod quantitas sermonis, seu mensura sermonis, secundum quam conveniens est loqui in fide, seu in lege, de primo principio, & de Deo glorioso, est loqui de ipso secundum modum universalem, & comem scilicet de entitate summi opificis, & de

Margin: Additio cuiusdam doctissimi philosophi. Erravit auctor si imponit Christianis hoc scilicet quod teneant foelicitatem hominis in alia vita fore spiritualem tantum in anima, quae consistit in intellectione intuitiva Dei & in eius fruitione adequate, & non redundare, ut dicunt theologi, ad proprium corpus. Asserunt enim in 4 sententiarum, ubi agunt de beatitudine post resurrectionem, corpus ipsum, consecretum ex mixtionibus elementorum quod informatur anima intellectiva, beari quatuor modis, a Deo productis in corpus hominis, scilicet impassibilitate, corpus enim beati nulla alteratione neque partium distractione affici poterit. 2. erit claritas: corpus enim tali claritate affectum erit lucidum & clarum, veluti corpus christi apparuit discipulis, quum dixerunt, bonum est nos hic esse, facies enim christi tunc splenduit claritate quae est dos 2. Beatitudinis 3. dos est subtilitas id est penetratio corporis beati ad quod cumque aliud corpus, quem ad modum christus bene dictus ianuis clausis intravit dicens pax vobis 4. dos quae ornatur corpus beati resurgentis est agilitas, quoniam iuxta eius voluntatem brevissimo temporis curriculo poterit se transferre de loco ad locum. Verum difficultas esset an in instanti beatus affectus ista dote agilitatis movendo se de loco ad locum, & praecipue in coelo empireo, ubi nulla resistentia extrinseca est, moveatur, neque potest fieri decursus ad resistentiam intrinsecam elementorum gravium, & levium, quoniam in corpore beato esset lassitas ad intra, & rursus resistentia elementorum gravium & levium contingit in sphaera activorum & passivorum: in coelo autem empireo non est ascensus neque descensus. Vel si dicatur quod iste motus erit successivus propter repugnantiam terminorum a quo & ad quem, simul enim esse non potest in termino a quo in medio, & termino ad quem, sic enim nulla foret successio, neque motus consequenter, ut patet ex sua diffinitione. Est enim actus entis in potentia secundum quod in potentia, vel contingit imaginari iuxta opinionem doctoris subtilis. Corpus beati istam habentis dotem agilitatis, cum ista agilitas sit virtus finita, aget actione finita, & consequenter simul esse non poterit in medio, & in termino ad quem. Hanc opinionem credo insequendam esse magis a theologis nostris.

Avicenna

unitate ipsius, & de iudicio, & iustia ipsius, & de denudatione eius a conditionibus, quae important defectum, & diminutionem: & de entitate angelorum, & de narratione causarum divinarum in universali, seu grosso modo, non in particulari, seu modo subtili speculativo, sed describendo illa secundum modum quo populus convenienter percipiat: & intelligat, et figurando, seu describendo figuracione, vel descriptione meliori, & convenientiori: taliter quod populus imaginetur, & appraehendat ea, & non describendo ipsa secundum intentionem rationalem puram. Describantur etiam modo praedicto substantiae spirituales umbrosae, quas non percipit, nisi intellectus sapientis. Amplius dixit Maumethus, quod alliciatu[r] populus: & timor, & horror ei incutiatur annuntiando praemium, & poenam, seu beatitudinem, & cruciatum: & describatur beatitudo bene merentium, non cum figuracione, vel descriptione divina, & sublimi, quae est in eis, immo cum figuracione, seu descriptione intelligibili ab ipso populo, ac illi magis convenienti, scilicet, quod beatitudo est delectatio, & tranquillitas, vel iocunditas, & describatur cruciatus, & poena esse secundum contrarium ipsius, & dividatur delectatio corporalis in rem visam, & in rem auditam, & odoratam, & tactam, & gustatam, & coitum, in quo est delectatio tangibilium. Et dilatat Maumetus ibidem sermonem in unaquaque causarum delectationis circa uxores, & filios continue praesentes: & fructus quoscunque desideraverint, & vasa aquae dulcis inabominabilis non fastidium afferentis. Et dicit, quod in paradiso quolibet currunt fluuii lactis, & mellis, et aquae clarae limpidae. Et asserit in ipso paradiso esse palatia, & domos, & tentoria in quibus strati sunt panni ex serico constructi: Et quod latitudo uniuscuiusque paradisi est secundum latitudinem coeli & terrae, & quae currunt cursu illorum. Divisio autem delectationis, aut beatitudinis spiritualis est, quia ibi est privatio tristitiae, & timoris, & continuatio gaudii, & laetitiae, ac iocunditatis, & omnibus istis maior delectatio, ac beatitudo est visitari ab eo qui creavit duos mundos: seu est intueri eum, qui creavit coelum,

Margin: Additio cuiusdam doctissimi. Fidei credulitas maior est omni ratione naturali, quoniam deus neque fallere, neque falli potent. Duas **hemmus** legesa deo revelatas, alteram **iudeorum**, alteram christianorum. Prima revelata fuit Moysi in monte Synai a Deo per angelum, ut tenent theologi subtiles. Christina vero **lex a christo benedicto** qui deus est, & homo. Ideo maior credulitas est in fide **quam**; sit in demonstrationibus naturalibus, quoniam Deus ipse non potest facere legem ab eo revelatam falsam esse, sed bene deus gloriosus **operationes**, cum sit super naturam potest naturam evertere, & annihilare. Ideo docte asserendum est veritates traditas in fide certiores esse veritatibus naturalibus: licet veritates naturales sint nobis evidentiones, quoniam procedunt iuxta modum nostri intelligendi, qui a sensibus, & phantasmatis pendet.

DE ALMAHAD

& terram, & velamen cooperiens ipsum Deum, ab eo removeri, ita, ut a beatis intueatur. Et licet quidam negent ista, tamen ipsa sunt vera, & firma in lege tenenda iudicio plurimorum sapientum convenientium in istis praedictis, quae frequenter revelata fuerunt. Nam populus rudis, quando exhortatur ad bonum, et ad iustitiam, quae ad hominem pertinet: tunc exhortatur ad id, quod est diversum a natura ipsius sensuali, & ad id, quod est contrarium motibus virtutum animae sensitivae, dominantibus super animam rationalem: ac si ipsa anima rationalis non existat omnino, seu non habeat esse omnino, aut quasi anima rationalis, sit privata operationibus suis, & potentiis suis omnino. & tunc non obedit populus rudis, neque obtemperat eis, ad quae secundum legem, & iustitiam, & bonum, exhortatur. Amplius, impossibile est, quod unus homo sit, quem gentes, & populi omnes timeant, & sperent de ipso, ac ei obediant, nisi manifestetur eis poena pro malis operibus, & remuneratio, & praemium pro bonis operibus: quare necessarium fuit affirmare, & manifestare illud, quod bene, & male operantibus Deus in alio mundo praeparavit. Et necessarium fuit describere illud descriptione, qua gentes intelligant illud, & imaginari possint. Bonum igitur operantibus dixit Maumethus describantur res, quas numeravimus: male operantibus vero describatur contrarium illarum, videlicet, quod erit ignis, & frigus affligens. Et erunt diaboli infestantes, & proicientes corpora vitiosorum in ignem, & in frigus. Et ibi erunt cathenae ferrae, & stricturae, ae vincula, & quod ibi comedent vitiosi mali res immundas: stercorosas: & bibent virulentias. & quod capita ipsorum percutientur: & renovabitur cutis ipsorum post cutim eorum corrosam ab igne, ita, ut non finiatur cruciatus ipsorum. Si enim beatitudo vera, & cruciatus veridici, quae ambo secundum quod sunt in veritate, sunt a cognitione, & ab intellectu gentium valde remota, non manifestarentur per exempla clara et notissima: tunc gentes non sperarent bonum futurum, neque timerent malum venturum. Et si non crederent resurrectionem corporum suorum: tunc gentes ipsae non crederent res duas, scilicet beatitudinem & poenam futuram, quare necessarium fuit apud sapientes legum divinarum affirmare, & manifestare mahad, & corporum resurrectionem,

Avicenna

et computationem, seu retributionem bonorum, & malorum operum, & affirmare beatitudinem, & poenam futuram, secundum hunc modum, secundum quem instituta nostrae legis Maumethus descripsit magis perfectae, super omnes alios. ita, ut ad ipsum modum praedictum impossibile sit aliquid addere omnino. Quod autem affirmant christiani de resurrectione corporum, quae postea in alia vita permanere debent absque cibo, et indumentis, et absque coitu, est sermo debilior, et minus rationabilis, ad quem populi minus inclinantur in re mahad, & illud quoniam si causa in resurrectione est, (Y) quod homo est corpus, aut quod est corpus communicans cum anima in operationibus bonis, & malis. Et ex hoc oportet, vt fiat resurrectio: tunc iste sermo sic concludit, vel necessitat illud, scilicet resurrectionem: tunc etiam concludit, vel necessitat, quod corpus debeat praemiari, & puniri praemio, aut poena corporali intelligibili apud populum, vel apud gentes. Et si erit beatitudo, & cruciatus spiritualis tantum, sicut dicunt Christiani: quae ergo erit intentio, vel quis erit finis intentus de resurrectione corporum. Amplius, quaerendum quae, & qualis erit illa beatitudo, & premium spirituale, et qualis erit cruciatus, vel poena spiritualis, & quomodo populis, & gentibus describi, vel manifestari, ita, ut sperent praemium, & timeant poenam futuram: certe non est modus assignabilis quo possint praedicta describi. Immo secundum Christianos ponentes praemium, aut poenam esse tantum spiritualem, non corporalem, non potest manifestari, vel describi aliquid de praedictis, nisi quod homines in alia vita erunt sicut angeli. Et si describatur ipsis populis, quod praemium, & poena in alia vita erunt spiritualia, addendo descriptionem aliam ab hac praedicta ab ipsis christianis ponentibus praemium, et poenam esse tantum spiritualia, tunc populi seducentur, a cognitione beatitudinis, & poenae, & errabunt in ea. Et de mahad spirituali, & de beatitudine & poena spirituali alterius vitae intelligent aliud ab eo, quod ab ipsis Christianis publicatum, & revelatum fuerit. Verum illud, quod populi rudes Christiani imaginantur de eo, quod est dictum, scilicet quod homines post resurrectionem in paradiso erunt, sicut angeli, quamvis non audeant ipsi Christiani rudes suam imaginationem, circa hoc exprimere, neque

DE ALMAHAD

publicare: est quod si homines in alia vita erunt sicut angeli: tunc erunt non remunerati absque aliqua delectatione & tranquillitate: quia si erunt sicut angeli non comedentes, neque bibentes, neque coeuntes: tunc populi rudes imaginantur: quod licet homines incessanter orarent die ac nocte, fierent in alia vita tales homines sicut angeli, tamen non consequerentur beatitudinem, aut praemium. Et causa quidem quare populi rudes imaginantur in seipsis quod si homines erunt in alia vita sicut angeli: tunc non erunt remunerati: quamvis non audeant propter verecundiam exprimere talem imaginationem oppositam dictis in lege: quoniam beatitudo vera, & delectatio spiritualis apud rudes homines non percipitur omnino, neque intelligitur: neque talis beatitudo vera secundum populos rudes. affirmatur esse, aut reperiri. licet aliqui eorum cognoscant, & percipiant talem beatitudinem veram, secundum sermonem tantum, non secundum intellectum, & cognitionem veram. Quia igitur populi rudes non percipiunt beatitudinem veram: ideo imaginantur, quod si homines in alia vita erunt sicut angeli: quod tunc non erunt remunerati haec ergo sufficiunt pro detestatione ponentium mahad soli corpori inesse aut corpori, & animae simul.

Declarationes super capitulum tertium, de reprobatione opinionum falsarum circa mahad. (A)

ET SE QUENTES hanc sectam opinati sunt & c. Id est opinati sunt, quod hominis essentia sit corpus: & ex odio, quem habuerunt erga sapientes propter invidiam, & diversitatem habituum moralium ipsorum, & propter ignorantiam & c. Non percipientes, quae a sapientibus dicta sunt, pervenerunt ad hoc, ut negaverint animam esse, & a sapientibus deviaverunt imaginando suo modo circa sensibilia tantum non percipientes spiritualia: quae sensu non apprehenduntur sed intellectu tantum: Unde in multos errores ceciderunt, sicut hodiernis temporibus sunt Iudei ignorantes, qui negantes Rabi Moysen, & omnes sapientes theologos, non percipientes doctrinam ipsorum, aliam sectam erroneam sensibilem a veritate theologica remotam quod invenerunt, & sicut sunt multi Christiani, qui non percipientes ea, quae de trinitate, et similibus dicuntur: negant, quae a theologis & philosophis dicta fuerunt impropere, & asserendo sapientes esse hereticos & c. (B)

ET QUONIAM opinio fundatur in dictis fidei & c. In hac parte Avicenna intendit reprobare fundamentum eorum, qui posuerunt mahad

AVICENNA

solis corporibus attribui ex hoc, quod fides Iudaica, & Christiana, & Maumethana afferit resurrectionem mortuorum, & per consequens corpora resurgere, & reverti, ex hoc igitur dicto, quod fides quaelibet tenet arguunt, & affirmant mahad solis corporibus convenire: sed Avicenna, ut infra diffuse patebit, declarat, quod multa dicta, & revelata **veteri testamento**, & nuovo, & in lib. Alocran sunt methaforice, & in parabolis dicta, ut gentes melius percipiant, quae non sunt vera, ut verba sonant, sed secundum sensum, & intentionem occultam, quam sapientes intelligunt, & percipiunt: quia igitur dicta fidei diversimode interpretantur, & non sunt vera, ut verba sonant, ideo fundamentum ipsorum assumptum ex dictis fidei non est validum.

Qualiter verificetur, quod non est possibile, quod Dei essentia sit intra mundum neque extra mundum, vide infra in ex positione, ubi reprohatur opinio altenasach, scilicet ubi ponuntur ipsius rationes.

QUARE redeamus ad intelligibile. Post quam Avicenna confutavit rationem ponentium mahad soli corpori convenire, quae quidem ratio fundata erat in dictis fidei methaforicis et revelatis, quorum sensus verus est occultus **non** perceptibilis nisi a sapientibus mediante revelatione, & scientia infusa. In hac parte redit ad intelligibile purum, id est redit ad ea, quae discursu rationis appraehenduntur, non per methaforam, & per scientiam infusam, sicut ea quae in fide publicantur, ut supra dictum est. Intendens igitur Avicenna confutare opinionem praedictam per rationes naturales, & per discursum rationis, & per ea, quae sunt pure intelligibilia; dicit certissime redeundum ad intelligibile purum, & dicamus & c. Et litera patet.

ILLI VERO qui posuerunt spiritus, vel animas remanere & c. In (D) hac parte, licet Avicenna contradicat opinioni praedictae in generalim tamen implicite contradicit Christianis, & Iudeis, & Maumethans, nam omnes isti affirmant animas easdem remanere, & resurrectionem corporum, in qua quidem resurrectione, ut infra demonstrabit Avicenna, quod licet eadem materia, non tamen idem corpus praecise reunietur eidem animae, cum qua prius fuit unitum, sed corpus aliud simile: quare secundum positionem istam praemium verum, & poena vera distribuitur animabus. quia ipsae eadem remanent: corpora vero eadem non remanent, neque corpora eadem, ut dictum est, in resurrectione reuniantur cum eisdem animabus, sed corpora alia similia: & in resurrectione erit renovatio corporum super animas remanentes, sicut renovatio aliquorum accidentium super substantiam.

Et Avicenna, procedit contra opinionem praedictam primo in generali postea in particulari contra Christianos, et Maumethanos, excusando tamen ipsorum positionem, & ultimo contra altenasach. Arguendo igitur in genere contra Christianos, & Maumethanos, ut dictum est, praemittit

DE ALMAHAD

quatur, quorum primum est, quod stante illa opinione, tunc materia in rebus factis existens non esset sufficiens in tempore resurrectionis, pro omnibus individuus animae remanentibus, & a corpore separatis. Nam cum materia fit finita, & animae tempore resurrectionis erunt infinitae numero, & anima quelibet sibi assumit certam partem materiae, & continue a principio mundi usque ad finem animae de novo creentur, & uniantur certae materiae dispositae, sequitur, quod plures sint animae numero, quam numerus partium materiae dispositae ad recipiendum animam intellectivam. Et hoc maxime verificatur praesupponendo, quod eadem materia informata fuerit diversis animabus, & quod omnia elementa, & mixta in mundo existentia pro complemento universi requirunt sibi certam quantitatem materiae, & ideo si capiamus quantitatem materiae necessarium pro elementis, & mixtis, & quantitatem determinatam materiae, pro anima intellectiva, tunc patebit, quod ex multiplicatione animarum materia finita, & deputata ad animam intellectivam non sufficiens in tempore resurrectionis, ita, quod quelibet anima tunc assumat sibi suam partem materiae, cum qua prius erat unita, quia tunc plures erunt animae, quam partes materiae. Secundum, quod praesupponitur est, quod iudicium divinum est unum non permutabile a cursu praedestinato, seu non permutabile ab eo, quod est determinatum ab ipso Deo, & hoc praesupposito sequitur, quod si Deus ab aeterno praedestinavit materiam finitam determinatam, pro animabus, quod supra ipsam non potest addi, neque suppleri, aliter iudicium divinam permutaretur ab eo, quod determinatum est ab aeterno quare & c. Tertium praesuppositum, quod beatitudini verae hominis contrariatur existentia animae in corpore, ut ipse declarabit in quodam tractatu particulari. Si igitur ita est, non oportet, quod anima quae debet praemiari, & beatificari reuniat corpori, neque oportet ponere resurrectionem, sicut ponunt Christiani, & alii. Nota quod delectationes verae sunt delectationes spirituales, quae adveniunt animae a corpore separatae. Quartum praesuppositum, quod res, quae de fide revelatae fuerunt in hac vita, quando intelliguntur, sicut publicantur, sunt vana, & falsa, sicut, quod Deus sedet in trono, et quod Deus irascitur & c. Licet igitur in fide revelatum fuerit resurrectionem & c. tamen hoc est intelligendum, non sicut publicantur, sed sano modo. Et quoniam expositio praedicta est dubia propter difficultatem fiiculdte literae, & magister meus multum laboravit in perscrutatione huius literae. Ideo ponam aliam expositionem, Et tu considerabis & invenies meliorem. Aliter ergo exponendo dico quod Avicenna in hac parte contradicit opinioni eorum, qui posuerunt animas remanere, & non corrumpi ad corruptionem corporis, et praemium verum ac poenam veram destribui ipsis animabus remanentibus eisdem, & non renovari super eas corpus, nisi sicut renovatur aliquod accidentium super substantiam per se existentem. Et quoniam talis opinio est generalis, & communis continens sub se opinionem altenasach,

AVICENNA

& opinionem Iudeorum, & Christianarum, et Maumethanorum ponentium resurrectionem corporum, & animas easdem reuniri eidem materiae, ut prius, sicut in praecedenti expositione declaratum est, & tales ponentes resurrectionem praedictam coincidunt cum opinione altenasach realiter, licet apparenter, & secundum modum loquendi, videantur differre, ut infra patebit. Ideo haec pars dividitur in tres partes, in prima enim parte arguit contra opinionem praedictam generalem, & contra ponentes altenasach in generali, in secunda arguit contra Christianos, & alios ponentes resurrectionem corporum, in tertia arguit specialiter contra opinionem altenasach. prima pars incipit ibi, & ipsorum opinionem est firma si praecesserit & c. Secunda pars ibi: verum nos hunc locum & c. contradicendo eis & c. Tertia pars ibi: dicentes autem altenasach fieri & c. In prima igitur parte arguit contra ponentes altenasach in generali, & quoniam est diversitas inter eos, ut patuit supra, quidam enim eorum dixerunt animas permutari continue ad aliam, & aliam materiam, & ad aliud, & aliud corpus diversum, non solum specie, sed etiam genere: ita, quod ad corpus cuiuslibet speciei animalis, & cuiuslibet speciei plantarum permutari possunt: & quidam eorum dixerunt animas male operantium permutari ad corpora, quae continue tristantur, & fatigantur: animas vero bene operantium praemiari, dum permutantur ad corpora hominum viventium pacifice, et cum honore. Et quoniam ponentes altenasach, secundum plurimum tenent mundum incorruptibilem, & ab aeterno fuisse, & aliqui ipsorum tenent animas denovo generari, et aliqui animas fuisse ab aeterno. Ideo Avicenna primo arguit contra ponentes animas permutari continue ad quaelibet corpora animalium, & vegetabilium indifferenter, & mundum ab aeterno fuisse, & incorruptibilem fore: & arguit sic: Quia stante hac opinione, tunc materia in rebus factis non esset sufficiens individuis animae existentibus a corpore separatis tempore unionis: & permutationis ad aliam materiam, & ad aliud corpus. Et hoc probatur, quia materia est finita, & tenendo mundum ab aeterno, & incorruptibilem, sive ponantur animae de novo generari, & tunc erunt animae infinitae, sive ponantur animae non de novo generari, sive quod ab aeterno fuerint, & tunc sunt finitae; patet quod permutatio animarum successiva continue ad aliud, & aliud corpus, & ad aliam, & aliam materiam, erit infinita numero, & sic materia finita, & quae habet partes finitas numero non sufficet permutationibus animarum praedictis non finitis numero, & licet animae sint finitae tamen materia non sufficet permutationibus in finitis, ut dictum est. Et si animae ponantur infinitae, tunc etiam materia non sufficet, patet igitur, qualiter stante opinione altenasach praedicta, materia non esset sufficiens individuis animae, id est permutationibus quibuslibet animarum separatarum a corpore ad aliud, & aliud corpus: & cognitio

DE ALMAHAD

falsitatis huius scilicet, quod materia non esset sufficiens & c. manifestatur in scientia divina, & scientia naturali, Ibi enim declaratur, quod Deus & natura non deficit in necessariis, neque quid superfluum, & ibi in scientia divina et naturali declaratum est, quod animae separatae a corpore non possunt amplius reuniri corporibus, secundum cursum naturalem. Stante igitur opinione praedicta sequitur, quod iudicium divinum sit deficiens in (E) necessariis, quia tunc materia non sufficeret individuis. AUT SCITUM fuerit secundo etc In hac parte ponit aliud praesuppositum, per quod arguitur, & confirmatur argumentum primum contra opinionem praedictam. Nam si fuerit scitum, quod iudicium divinum est unum non permutabile a cursu praedestinato, tunc dicendum, quod si Deus ab aeterno praecognovit materiam finitam. cognovit etiam ipsam esse sufficientem non diminutam: neque Deus potest permutari a cursu praedestinato, ita, quod si cognovit materiam finitam, postea cognoscat ipsam diminutam, & de novo aliam generet. Cognitio autem huius praesuppositi secundi, scilicet quod iudicium divinum non permutatur & c. manifestatur, quia primum ens per se existens est expoliatum ab omnibus speciebus alterationum & c. & hoc est certificatum in scientia divina, Patet igitur, quod si iudicium divinum non permutatur & c. materia non potest esse, non sufficiens individuis anima & c. sicut sequitur ex illa (F) opinione falsa quare & c. AUT SCITUM fuerit tertio, quod beatitudini hominis verae etc. In hac parte ponit tertium praesuppositum, per quod arguit contra alenasach ponentes, quod animae bene operantium permutentur ad corpora hominum pacifice, & eum honore viventium: & sic praemiantur & beatificantur, quia existentia animae in corpore contrariatur verae beatitudini, sicut in quodam lib. Avicenna declarat, quare opinio praedicta est falsa (G). AUT SCITUM fuerit quarto & c. In hoc praesupposito Avicenna arguit contra alenasach in genere, quia ut visum fuit supra, multi Maumethani, & alterius sectae aut fidei affirmant alenasach, & fundantur in dictis, & scripturis veteris testamenti, & novi: & in dictis Alchoran. Ideo dicit Avicenna contra istos, quod res plurimae, vel dicta plurima, quae de fide revelantur in hac vita, si intelliguntur, sicut publicantur, sunt vana et falsa. Nam in fide dicitur, quod Deus sedet in throno, si enim intelligatur hoc, sicut litea sonat, est dictum falsum, quia Deus non est corpus, neque sedet: sedere enim attribuitur corpori: patet igitur, quod multa dicta de fide non sunt intelligenda, sicut litera sonat, aut sunt scripta, sed sunt intelligenda secundum sensum verum et occultum, quem homines sapientes percipiunt, et intelligunt, et ignorantes non percipiunt, nisi quantum sensibus percipiunt: patet igitur, quod opinio praedicta est falsa, neque potest fundari in dictis alicuius fidei, et in scripturis revelatis. (H)

NAM ILLI quibus etc. Pro declaratione huius literae nota, quod in scripturis fidei verae revelatis, multa sunt, quorum sensus, et intentio occulta

Avicenna

& intrinseca est vera, & secundum quod literae sonant sunt false: tamen sunt sic revelata per sensibilia, & per meaphoras, ut gentes melius appraehendant. Si quis ergo sapiens non festine negat ea, quae in fide revelata sunt modo convenientiori per Methaforas, & per visibilia, & sensualia, neque vituperat festine illa, quae habent intentionem, & veritatem occultam, licet quantum ad lieteram, & secundum sensibilia non sint vera, tandem in processu temporis cognoscet veritatem occultam ex scientia infusa, & ex lumine intellectus divini, & cognoscet quod illa sunt revelata per parabolas, & per visibilia, ut vulgus melius percipiat, tamen sensus, & intentio occulta est vera, & fides vera: maxime, secundum hanc formam, & conditionem revelatur. Fides vero falsa et corrupta quae non procedit a coelesti lumine divino revelatur secundum formam & conditionem oppositam, quia ea, quae publicantur in fide falsa extrinseco, & quo ad sensum apud ignorantes videntur vera, et intentio occulta praedictorum sunt falsa apud rationalem discursum, sicut in fide Almagius apparet. Nota quod fides Almagius, ut dictum est: ponit duo principia lucem, & tenebram & c. Et propter hoc tenentes talem fidem adorant ignem & solem, & usque hodiernis temporibus reperiuntur in **India** in civitate Cambraiae et Colocut multi, qui observant hanc fidem, ut a fide dignis intellexi. Ex praemissis apparet falsitas opinionis dictae superius, & melius manifestabitur in particulari quum falsitas opinionis Altenasach declarabitur.

VERUM hunc locum & c. In hac parte Avicenna contradicit particulariter eis qui ponunt mahad convenire corpori, & animae simul, & animas reuniri corporibus eisdem: cum quibus prius erant. Et quoniam infra in loco convenienti Avicenna probat impossibilitatem reversionis animae ad corpora, secundum rationalem discursum: Et ponentes mahad convenire animae & corpori affirmant animas separatas reuniri iterum, sicut tenent Iudei, et Christiani, et Maumethani. Ideo in hac parte Avicenna reprobatur opinionem praedictorum, & ostendit qualiter ipsi convenient cum altenasach, secundum veritatem, licet apparenter, & secundum modum loquendi videantur differre. Arguendo igitur contra opinionem praedictorum dicit dicamus ergo & c. Litera patet.

UT ALIQUIS resurgat vulneratus nasum habens ab scicum & c. Et hoc est erroneum apud eos, quia tam Iudei, quam Christiani affirmant, quod homines resurgent completi, et perfecti non diminuti in aliquo membrorum.

ET SI DICATUR quod resurrectione erunt partes principales & c. Istud non valet, nam ipsi ponunt, quod partes substantiales, & materia eadem quae fuit sub forma membrorum principalium pro vita prima hominis, resurget, & cum illis partibus, vel cum materia illarum partium reunietur anima, quae priua erat unita: sed partes coadiuvantes ad vitam hominis, puta brachia, pedes & alia membra similiter non resurgent eadem seu non

DE ALMAHAD

surget eadem materia illorum membrorum coadiuvantium ad vitam, quae prius erat, sed resurrectio illorum membrorum coadiuvantium fiet indifferenter ex illa terra, vel alia seu ex materia illius terrae vel alterius, et non ex materia determinata eadem, quae prius erat sub forma membrorum praedictorum, sed ista dicta non valent, quia ex his verbis isti tenentes opinionem praedictam tollunt & remonent aequalitatem iustitiae quam ipsi affirmant esse in resurrectione membrorum corporis: & hoc declaratur. Nam sicut partes hominis coadiuvantes ad vitam continue fluunt, & variantur secundum materiam propter resolutionem factam & restaurationem de novo naturaliter. Unde in illis membris non permanet eadem materia, sed variatur propter causam dictam, ita dicendum in partibus substantialibus hominis, & principalibus membris pro vita: huiusmodi etiam a calido resoluuntur, & restaurantur. Ideo etiam similiter in eis non permanet eadem materia. Quomodo ergo secundum istos est verum dicere quod eadem partes substantiales vitae corporis resurgent, & non eadem partes coadiuvantes, seu quod eadem materia partium substantialium & membrorum substantialium resurget, non autem eadem materia membrorum coadiuvantium? quia non videtur maior ratio de una, quam de alia: quia quaelibet illarum variatur a principio usque ad finem vitae. Praeterea secundum eos qui respondent supradictam responsione, homo resurget perfectus non imperfectus: ergo in resurrectione resurgent tam partes coadiuvantes ad vitam: sine quibus homo esset imperfectus, quam partes substantiales & membra substantialia pro vita. Et si tu dices, quod licet materia membrorum principalium pro vita variatur, sicut membrorum coadiuvantium, ut supradictum est: tamen aliqua eadem materia quae prius fuit sub forma membrorum principalium resurget, sed in membris coadiuvantibus resurget quaelibet materia indifferenter ex illa terra vel illa, ut dicebatur superius, dicendum quod sicut tu ponis aliquam eandem materiam, quae prius fuit sub forma membrorum principalium resurgere ita ponendum est aliquam eandem materiam, quae prius fuit sub forma membrorum coadiuvantium posse resurgere: & cum non sit maior ratio de una quam de alia. Ideo dicere quod materia membrorum principalium seu quod partes principales resurgant, & non partes coadiuvantes seu materia ipsorum. est remove aequalitatem iustitiae, & hoc quod voluimus declarare: aliter remonent aequalitatem iustitiae, quia anima reunitur eidem, & eidem corpori, ut corpus, & tam partes substantiales eius, quam coadiuvantes in alia vita puniantur, aut delectentur secundum opera corporis, & partium eius substantialium, & partium coadiuvantium praedictarum in vita prima, si ergo anima non reuniretur eidem materiae partium, vel membrorum coadiuvantium, sicut materia membrorum substantialium tunc destrueretur iustitia, quia membra coadiuvantia, quae fuerunt socia animae

Avicenna

in oparibus bonis, vel malis non punirentur, sed membra alia.

IAM IPSI tollunt et remouent iudicium iustitiae, quam ipsi ponunt (M) in resurrectionem membrorum corporis. Nota quod Christiani ponnunt, & affirmant, quod corpus & membra eius reuniri debeant cum anima, ut anima simul cum corpore & membris ipsius consequatur premium, aut poenam. Si enim corpus & membra simul cum anima fuit causa peccati, conueniens est secundum iudicium iustitiae aequalis, quod tam membrum & corpus puniatur, & patiatur, quam anima: Si ergo membra coadiuvantia ad vitam fuerunt causa peccati: & talia membra resurgant ex illa, vel alia terra seu ex illa vel alia materia indifferenter, tunc non resurgent membra, quae fuerunt causa peccati, & sic non punientur, neque premiabuntur, membra illa eadem, quae concurrerunt ad operationem bonam aut malam, sed alia membra diversa ab illis, et sic removebitur iudicium iustitiae, quam praedicti affirmant esse causam resurrectionis corporis & membrorum.

NISI IPSI ponunt partes appropriates resurrectioni habere proprietatem intentionis & c. Id est ponentes partes principales vitae corporis resurgere, & non partes coadiuvantes, ut supra dictum est, ponunt aliquas partes corporis appropriatas resurrectioni: et aliquas non, et ponunt partes corporis appropriatas resurrectioni esse illas, quae habent proprietatem, & vestigium intentionis, quae quidem intentio fuit ab eis partibus remota tempore mortis. Talis vero intentio partium principalium vitae corporis humani praedictarum est, quod partes ipsae praedictae in tempore vitae primae, scilicet ante mortem erant materia, & partes substantiales vel substantantes vitam priorem. Post mortem vero, ut patet, tales partes, & materia ipsarum non habent illam intentionem, id est mortem, haec intentio videlicet esse partes substantiales vitae non praedicatur de illis partibus, & de materia illarum partium: sicut prius praedicabatur in vita prima, Quia tunc verum erat dicere, quod illae partes corporis erant partes substantiales vitae illius hominis, & quod materia illarum partium erat sub forma membrorum, quae erant partes principales & substantiales vitae, sed post mortem non est talis praedicatio vera. Post mortem ergo remota est illa praedicatio, & illa intentio praedicta ab illis partibus, & a materia ipsarum, Quia igitur partes praedictae, & materia ipsarum habuerunt intentionem & praedicationem veram praedictam: scilicet quod fuerunt partes substantiales vitae & c. Nunc post mortem remanet in illis partibus, & in materia ipsarum quaedam proprietas, & quaedam inclinatio, ut iterum sint partes principales vitae corporis humani, sicut prius, & quod materia ipsarum iterum recipiat formam praedictarum partium, sicut prius, & propter talem inclinationem, & proprietatem, & vestigium partes principales praedictae sunt partes appropriatae resurrectioni, ut dictum est, & partes coadiuvantes non.

DE ALMAHAD

SED ISTE sermo, & ista positio est absque ratione, scilicet appropriare aliquibus partibus, scilicet partibus substantialibus, quod ipsae **sint** convenientes pro resurrectione, ut dictum est, & quod partes aliae, scilicet partes coadiuvantes non sint appropriatae, vel convenientes resurrectioni. EST SERMO qui ponit privationem & c. Id est sermo qui ponit aliquas partes appropriatas resurrectioni propter vestigium, et proprietatem intentionis remotae ab eis, ut dictum est supra, & aliquas partes corporis non esse appropriatas resurrectioni est sermo, qui affirmat privationem intentionis praedictae esse causam & c. Id est sermo qui affirmat quod privatio intentionis, seu praedicationis supra scriptae, seu remotio intentionis vel praedicationis supra scriptae ab illis partibus substantialibus, & a materia ipsa, scilicet quod tales partes in vita prima fuerint partes substantiales vitae, & nunc non sunt talis privatio intentionis praedictae, scilicet quod nunc non sunt partes substantiales & c. est causa quod tales partes, seu materia ipsarum sint habiturae iterum de novo intentionem supple praedictam, quia in resurrectione materia illarum partium substantialium propter vestigium praedictum de novo iterum erit sub forma partium vel membrorum substantialium vitae, sicut prius. ET ALIUD ab eo non, id est & aliae partes coadiuvantes ad vitam, in quibus non est privatio intentionis praedictae sicut in partibus substantialibus, quia partes coadiuvantes non fuerunt partes substantiales vitae, non habebunt illam intentionem, Aliud ergo ab eo, id est partes coadiuvantes, quae sunt aliae a partibus substantialibus, non sunt habiturae illam intentionem, quam habebunt partes substantiales, quia in hora resurrectionis partes coadiuvantes, et materia ipsarum non habent illam proprietatem, & inclinationem, quam habent partes substantiales, & ideo materia partium coadiuvantium non recipiet formam membrorum substantialium, quia non habet privationem intentionis praedictae, quam habet materia partium substantialium. Sermo ergo praedictus non verus ponit, quod privatio intentionis praedictae est causa, quod aliquid, id est partes substantiales, vel materia partium substantialium de novo habebunt intentionem praedictam, & aliud ab eo, id est partes coadiuvantes, & materia ipsarum non habebunt illam intentionem, seu praedicationem, quae supra dicta est.

ET DISPOSITIO quidem privationis rei factae & c. Id est dispositio privationis rei factae & dispositio privationis rei futurae, seu ipsa privatio rei factae, & privatio rei futurae sunt in materia quae est una: quare si tu ponis, quod partes principales praedictae, & materia ipsarum sint appropriatae resurrectioni, ex hoc quod habent privationem intentionis supra scriptam, & ex hoc habent privationem rei futurae, scilicet quod de novo in resurrectione habebunt formas illarum partium substantialium cum materia, quae fuit sub forma istarum partium praedictarum sit una cum materia

Avicenna

quae in resurrectione recipiat formas partium praedictarum, sequitur quod sicut materia partium substantialium post mortem ex hoc, quod in se habet privationem rei factae puta privationem membrorum principalium, ipsa etiam habet privationem rei futurae, quia est apta in resurrectione recipere formas membrorum principalium, ita, dicendum de materia membrorum coadiuvantium ex hoc, quod ipsa habet privationem rei factae puta membrorum coadiuvantium, quia informata fuit a formis ipsorum, sequitur quod habeat privationem rei futurae puta ipsorum membrorum coadiuvantium, quae membra redibunt in resurrectione: sicut ergo tu dicis, quod materia partium substantialium ex hoc, quod habet privationem rei factae, scilicet privationem formae partium praedictarum, quia habuit formam ipsorum, & per hoc ista eadem materia habeat privationem rei futurae, scilicet privationem formae partium substantialium, quae de novo resurgent: & ex hoc dicatur quod materia partium praedictarum dicitur esse appropriata resurrectioni. eadem ratione dicatur de materia membrorum et partium corporis coadiuvantium ad vitam, quod ipsa etiam sit appropriata resurrectioni, quia ipsa habet privationem rei factae puta privationem formae membrorum coadiuvantium etiam debet habere privationem rei futurae, scilicet privationem formae futurae membrorum coadiuvantium in resurrectione, & sic est appropriata resurrectioni membrorum & partium coadiuvantium: sicut igitur tu ponis quod materia partium principalium ex hoc quod ipsa habuit formas membrorum principalium, & ab eis fuit informata, & nunc non est, sed habet privationem intentionis, & praedicationis, quam supra diximus, & propter hoc ipsa eadem habet proprietatem & inclinationem ad resurrectionem, & reunietur in resurrectione futura formis partium principalium: eodem modo est dicendum, quod materia partium coadiuvantium: quia ipsa fuit informata a formis ipsarum, et nunc non est, sed habet privationem intentionis, & praedicationis: quam prius habebat, quia in vita prima erat verum, quod talis materia erat informata forma membrorum coadiuvantium, & nunc non est informata, quia igitur ipsa materia habet privationem intentionis, quam nuper diximus, sequitur quod ipsa eadem habeat proprietatem: & inclinationem ad resurrectionem, & ad recipiendum formam membrorum coadiuvantium. Et sic qua ratione tu ponis quod eadem materia partium principalium resurget, eadem ratione eadem materia partium coadiuvantium resurget, & recipiet formam partium praedictarum. Et nota, quod hoc argumentum procedit, contra Christianos theologos qui ponunt, quod materia membrorum radicalium sit magis conveniens in resurrectione mortuorum. quam alia materia ut patet a **Sancto Thoma** contra gentiles lib.4. cap. ubi respondet ad obiectiones contra resurrectionem. Et intentio Avicenna in istis nationibus est, quod resurrectio non erit naturaliter, sed supernaturaliter. Materia enim quae libet a formis

DE ALMAHAD

separata est unius rationis, ergo naturaliter loquendo non est maior ratio de una, quam de alia. In resurrectione ergo, quod haec materia magis reuniatur illi formae, quam alia materia, hoc non erit secundum naturam sed secundum virtutem, & voluntatem divinam. Et hanc sententiam Avicenna confirmat in sua philosophia, ubi asserit, quod resurrectio mortuorum non potest demonstrari naturaliter, sed quia talis resurrectio possibilis est seceundum virtutem divinam, & per prophetas divinitus est revelata resurrectio mortuorum. Ideo credenda in qualibet lege comprobatur.

ALIA LITERA habet, & dispositio quidem privationis existentis aut privationis futurae non existentis est in materia una & c. Pro declaratione istius literae sciendum quod dispositio privationis existentis dicitur esse in materia, quando materia prius fuit sub aliqua forma, & nunc non est sub illa forma, tunc enim materia dicitur privata illa forma, & privatio formae est actualiter existens in materia. Dispositio vero privationis futurae, est, quando materia non fuit informata aliqua forma, sed in futurum informabitur ab ea, et postea materia illa privabitur illa forma: antequam ergo materia informata sit ab illa forma, tunc dicitur, quod in materia est privatio formae futurae, & non privatio actu existens: his praemissis, patet, quod privatio alicuius formae actu existens, & privatio futura sunt, quid extra rationem essentialem materiae, et quaelibet illarum privationum est in materia una, id est unius rationis, quae materia traxit ipsam privationem: ergo non est maior ratio, quod una materia sit appropriata resurrectioni, quam alia materia, & sic sermo, qui ponit aliquas partes esse consimiles, & aliquas earum appropriatas esse resurrectioni, & aliquas non, & quod privatio intentionis praedictae sit causa, quod aliquae partes, & aliqua materia sit appropriata resurrectioni, & aliqua non, est sermo non verus.

ET TAMEN quando consideraveris & c. In hac parte Avicenna facit aliud argumentum contra ponentes animas reuniri eidem corpori, & eidem materiae, & litera est clara.

ET SERMO quidem primus, id est sermo, qui affirmat animas in resurrectione reuniri eidem corpori composito, ex eadem materia, & ex eisdem partibus elementorum.

NAM VERITAS est, quod non est differentia & c. Hic probat Avicenna, quod posito, quod anima reuniatur tempore resurrectionis corpori composito ex eadem materia, & ex eisdem partibus elementorum, tamen causatur Altenasach. Nam ponatur, quod sint duae materiae, quarum prima prius non fuerit informata anima intellectiva, secunda vero fuerit prius informata, sicut ergo quando materia prima tempore resurrectionis reciperet de novo animam intellectivam, quam prius non habuit, diceretur fieri Altenasach, quia permutatur forma de una materia ad aliam,

AVICENNA

et de corpore ad aliud, ita, fiet Althenasach verum, si anima tempore resurrectionis reuniatur cum materia secunda, scilicet cum materia, quae prius ab illa eadem anima fuit informata, quia talis anima licet uniatur corpori composito ex eadem materia, quam prius informavit, tamen non unietur eidem corpori, quialicet erit eadem materia, non tamen erit eadem corporeitas, quae primo erat in vita prima.

TAMEN intentio in eis est una: ex hoc declaratur, quia licet videatur differre quo ad verba, tamen siue ponatur anima reuniri ad corpus, quod communicat corpori primo alterius vitae in materia una numero, sive reuniatur ad corpus, quod non communicat, ut prius quocumque modo dicatur intentio est una realiter: quia corporeitas est alia numero ab ea, quae prius, & per consequens corpus est aliud: & sic de necessitate fiet Althenasach verum tempore resurrectionis. Respondendo ad hoc argumentum dicitur quod sicut a principio vitae hominis usque ad senectutem non est eadem totalis materia, neque eadem corporeitas, & tamen dicitur quod est idem homo, ita in resurrectione.

LOQUENTES autem magis debiliter & c. In hac parte ponit comparationem inter Christianos, & Maumethanos circa positionem ipsorum de Mahad, & dicit, quod Christiani magis debiliter: & magis diminute loquuti sunt de Mahad, & de his, quae ad legem divinam pertinent. Maumethus vero meliori modo, & magis complete docuit & tradidit leges divinas, quam sit possibile tradi, et revelari: & propter hoc Maumethus appellatus est sigillus³ legum, & ultimus prophetarum. Et Avicenna in hoc loco si non timeret prolixitatem sermonis, demonstrasset perfectionem legis Maumethanae, & nobilitatem eius super alias leges praecedentes, quae divinitus revelatae sunt: sicut ipse dicit, quare Avicenna in hoc lib. vult solum assumere ex tota summa legis Maumethanae opinionem dignam: & convenientem de Mahad, quam posuit Maumethus in lib. AlCoran. Dixit enim Maumethus ibidem, ubi loquitur de Mahad: quod melior, & dignior intentio legum divinarum est pars practica, quae est de operationibus hominis & c. pars enim speculativa ordinatur ad practicam & ad hominum operationem bonam et moralem, nam habita cognitione Dei, & animae, per scientiam speculativam, homo cognoscit Deum esse primam causam, & summum bonum, cum quo anima virtuosa uniri, & summam foelicitatem consequi debet, & anima virtuosa, & perfecta non fit nisi mediantibus operibus bonis, & mediante amore divino inclinante ipsam animam conformari summo principio, & Deo glorioso quantum possibile sit in statu isto, et sic Deus non operatur nisi bonum et virtuose, ita anima volens imitari suum primum principium non debet operari nisi virtuose. Et quia amor & voluntas non fertur in incognitum: ideo cognitio speculativa circa Deum, & ista inferiora causat in anima dilectionem, & amorem, & inclinationem

³ Only in *DuCange*

DE ALMAHAD

ad operationes morales virtuosas, finis ergo cognitionis speculativae, et legum divinarum, est pars practica, ut unusquisque homo operetur bonum & conformetur suo principio: si ergo intentio, & finis legum divinarum est illud quod diximus, oportet ut leges divinae doceant cognoscere Deum gloriosum, & persuadere homines ad virtutes prosequendas, & ad vitia evitanda: talis autem cognitio de Deo non potest haberi a communitate hominum, nisi in universali, & non in particulari, et modo speculativo: persuasio etiam ad populum non fit nisi per promissiones rerum sensibilium, & perceptibilium ab ipso populo, quare si Maumethus docuit leges divinas per sensibilia, & bene operantibus promisit praemium sensibile, a vulgo perceptibile, vitiosis vero poenam sensibilem, ut infra patebit. Illud rationabiliter, & convenienter dictum est, ut gentes magis percipiant, & assentiant. Litera est clara.

(V) UT UNUSQUISQUE operetur bonum in seipso, & in aliis quae communicant secum in specie & genere & c. Nota quod in lege Maumethi prohibitum est cruciare, & tormentis affligere animalia cuiuscunque speciei, & propterea praecipitur, ut in decollatione animalium volatilium, et quadrupedum, pro cibatione hominis. Gladius decollativus sit acutus bene incidens, ne tantem tollerent passionem. Et Maumethani propter hanc causam, & praeeptum in lege sua multum compatiuntur animalibus brutis, ita, ut canibus et gattis tribuant in eleemosinam⁴ etc.

Litera sequens est clara non indigens expositione.

(X) ET QUOD in paradiso quolibet currunt fluuii & c. Ex hac litera Avicenna apparent secundum viam Maumethanorum, quod plures sunt paradisi. Et pro declaratione huius sciendum, quod in lib. Alcoran scriptum est plures esse paradisos, ut populi melius percipiant: & expositores Maumethani diversi ficantur circa expositionem istius, quidam enim dicunt, quod plures sunt paradisi, id est plures sunt portae paradisi, quidam dicunt, quod paradisu est unus continens plures paradisos particulares, sicut damus magna continens diversas habitationes magnas, in unoquoque vero paradiso particulari currunt fluuii lactis etc. Haec omnia dicta sunt, pro rudibus, ut ab eis melius appraehendantur ea, quae in alia vita praeparavit Deus merentibus, & demerentibus: Tamen veritas secundum viam Avicennae, & aliorum philosophorum est, quod beatitudo & cruciatus ignis & frigoris & c. erunt secundum intellectionem animae intelligentis delectabilia aut tristia, & secundum animam perfectam, aut diminutam, ita, quod beatitudo, et poena erit tentum spiritualis: ut infra melius videbitur.

(Y) ET ILLUD quoniam si causa in resurrectione est, quod homo est corpus, id est quod homo & ipsius essentia est corpus tantum absque anima, ut supra visum est secundum opinionem Arabum ponentium Mahad soli corpori convenire, aut essentia hominis est corpus communicans cum anima

⁴ eleemosynam

AVICENNA

in bonis & malis operibus: & propter aequalitatem iustitiae oportet, ut detur meritum, aut demeritum pro bonis, aut operibus in hac vita, aut in alia, & propter hoc oportet, ut homo sive sit corpus tantum, sive corpus communicans cum anima post mortem resurget. Et si propter meritum, aut demeritum seu praemium aut poenam oportet fieri resurrectio corporis: ita oportet ut praemium, & poena sit corporalis. Litera quae sequitur patet usque ibi de reprobatione dicentium csse Altenasach.

De reprobatione dicentium fieri Altenasach.

Dicentes autem Altenasach fieri, demonstrant, et arguunt veritatem opinionis suae sic arguendo. Nam animae quemadmodum iam de ipsis est dictum: sunt substantiae separatae a materia, & verificatum est: quod ipsae sunt separatae post mortem, & verificatum est etiam: quod corpora mortuorum sunt infinita: quia non evacuatur quin aut animae sint finitae, aut infinitae numero. Et si fuerint animae existentes modo, vel nunc separatae a corporibus mortuorum infinitae: tunc inveniretur infinitum in actu quod est impossibile. Si vero fuerint animae finitae, & corpora ipsarum sunt infinita: tunc necessarium erit ponere Altenasach fieri, & reiterationes ipsarum animarum fieri ad corpora. Et dixerunt etiam si animae sunt existentes ante corpora, sicut est sententia verior: tunc positio Altenasach est manifeste necessaria. Amplius, plurimae sunt demonstrationes & sententiae: quae affirmant animas existere ante corpora. Et quomodo non est illud verum. Nam si animae haberent esse, vel inciperent esse in hora, in qua corpus habuit esse existentiae, secundum complexionem suam: tunc ipsae essent de numero essentialium, vel formarum substantialium dependentium a corpore: formae autem materiales, & substantiae materiales impossibile est quod separentur in aliqua dispositionum a materia, vel a corpore. Et illud, quoniam, aut substantia ipsarum, & essentia ipsarum permutaretur apud separationem earum. & tunc non essent ipsae eadem formae materiales substantiales, & essentiae animarum materiales, quae prius fuerunt, et essent essentiae materiales ipsarum animarum iam corruptae. ex eis enim tunc non remaneret aliquid post hominis corruptionem: quum ipsae sint simplices: quoniam impossibile est, quod essentiae animarum materiales sint compositae, vel quod formae materiales

DE ALMAHAD

substantiales sint compositae ex forma, & materia in substantia sua, ita ut sit alteratio adveniēns illi materiae & materia sit firma, vel permanens quia sequitur ex hoc ut sit materia earum alia, & diversa ab illa materia: per cuius comparationem, vel respectum dictae sunt, seu denominatae sunt formae materiales, & sequitur ut sit illa materia de his quae fundantur in materia prima. Et de ipsa esset eadem quaestio: Aut dicitur quod permutarentur accidentia ipsarum formarum materialium praedictarum, & essentiae suae essent stabiles, firmae, in duabus dispositionibus: & tunc approximatō animarum, vel formarum praedictarum ad materiam esset accidens eis: neque ipsae tunc in sua substantia inhaerent materiae: **immo** ipsae in sua substantia non indigerent materia: iam autem dictum est, ipsas inhaerere materiae cum sua substantia: quare falsum est dicere quod animae incipiant esse cum corpore. Amplius si substantia ipsarum animarum sit substantia non in materia, scilicet quae non est inhaerens, materiae impossibile est quod accadat ei indumentum materiae, vel quod ipsa induat materiam: quoniam ipsa in substantia sua est una simplex, vel pura, non habens quantitatem, neque mensuram: neque est possibile ut ipsa recipiat divisionem in partibus: & quoties ponitur quod ipsa sit in corpore: tunc ipsa de necessitate est subiectum divisionis, seu tolerat divisionem in partes: & sequitur quod ipsa sit divisibilis ad divisionem partium corporis, sicut sunt divisibiles dispositiones dependentes ab essentia corporis, vel a dimensionibus corporis, sicut figurationes, & res dependentes ex aggregatione: partium corporis, sicut plasmationes seu figurae, & formae, compositionales. Et licet animae sint formae separatae a summa dispositionum praedictarum: tamen impossibile est quod ipsae in forma sua vel secundum quod formae sint separatae secundum esse a corporibus. Et si aliqui opinati sunt, quod animae sint de his quae separantur: scilicet secundum esse, iam erraverunt. Et **Aristoteles** declaravit errorem ipsorum in libro metaphysice: et manifestavit: quod si animae essent in aliqua hora separatae a materia: tunc non essent formae dependentes a complexione corporali: neque essent formae simplices, vel purae in materia existentes. Quum igitur animae non sint formae separatae a materia secundum esse: licet sint separatae a summa praedicta, scilicet a quantitate, & loco: sequitur

Avicenna

quod animae, non sint de numero eorum: quae adveniunt vel incipiunt esse cum adventu, vel cum inceptioe corporis. Si ergo animae fuerunt ante corpora, necessarium est ut ipsae in sua existentia ante corpora, vel dum ipsae existerent ante corpora, habeant numerum determinatum, seu finitum, et corpora quidem non habent numerum finitum: quare necessaria erit positio altenasach. Dixerunt etiam ponentes Altenasach. Nos quaerimus ut assignetur nobis ratio quare est quod animae quae erant separatae a materia, postea unitae sunt cum materia: & ex hoc, quod fuerint unitae cum illa materia, non oportet, ut uniantur cum alia materia simili: aut quaerendum est quare quando fuerit anima separata a sua prima materia, non est possibile quod ipsa reuniatur alteri materiae: neque est possibile ipsam redire ad aliam materiam, & uniri cum ea, sicut fuit unita cum prima materia. Si enim [dicatur quod causa unionis eius cum materia] fuerit natura ipsius animae: patet, quod natura ipsius est firma, vel remanens in dispositione secunda: si vero fuerit causa in ea praeparatio complexionis qua materia capit: vel recipit animam sicut rete capit, vel recipit aves: tunc concedi potest ut sit possibile, quod capiat vel recipiat, eam complexio humana similis illi complexioni. Et complexio quidem a qua dependet unio vel coniunctio animae cum materia, non est res, quae non toleret diversitatem, vel non est res cuius diversitatem non toleret anima: quoniam anima una est unita cum corpore uno, in quo quidem diversificatur complexio in aetatibus eius diversis, & ex cibariis diversis. Et posito quod illa sit ex eis, quae non tolerant diversitatem: tamen est possibile ut inveniatur complexio similis, & si causa in diversitate fuerint formae planetarum: tunc in revolutione ipsarum possibile est, ut redeat forma eadem planetarum: vel illa eadem influentia: immo est necessarium, ut redeat illa eadem influentia, vel eadem forma planetarum: quare redibit similis complexio in materia alia, & tunc anima reunietur illi materiae. Et si causa fuerit ipse Deus gloriosos, & angeli: tunc, quia sunt permanentes: possunt causare similem complexionem in alia materia. quare manifestum est, quod anima post separationem eius et corpore, & a materia, cum qua prius fuit unita, potest redire ad aliud corpus, et ad aliam materiam, & cum ea reuniri. Et possibilia in eis, quae ab aeterno

Margin1: causa separationis eius.

Margin2: diversitatem scilicet complexionum.

DE ALMAHAD

fuerunt praedestinata apud Deum, sunt necessaria quare & c. Et quidam eorum qui posuerunt Altenasach dixerunt animas diminutas esse in perfectione, & quod ipsae propter causam huius diminutionis, exquirunt perfectionem mediantibus instrumentis corporeis. sicut dixerunt sapientes **Graeci**: quod animae descendunt ad corpora **Ietharthas**, id est ut perficiantur seu ut perfectionem acquirant, sicut dixerunt alii, quod animae ipsae, quum peccaverint aliquo peccato, erunt castigatae coarctando ipsas in corpore sicut in carcere: aut fugiendo ex seipsis ad corpus. Et istae quidem animae etiam in hora separationis ipsarum a suo corpore possunt esse deficientes, seu diminutae in perfectione sicut prius erant, & perconsequens possunt desiderare, iterum uniri cum corpore, sicut in prima unione desideraverunt, & dicunt isti, quod immo hoc est necessarium, cum ipsarum animarum natura exquirens, et desiderans perfectionem, sit adhuc existens in eis sicut in principio. Et dicunt isti tales animas non fuisse a perfectione sua diminutas in hora separationis ipsarum a suo corpore: nisi quia fuerunt prius occupatae, vel impeditae a tali perfectione propter corpus, & propter sensus corporeos, & virtutes appetitivas, & irascibiles dominantes super animas praedictas in corpore: ita ut offuscaetae a sensibus, & a rebus mundanis: non cognoverint dum essent in corpore diminutionem suam: neque se moverint ad exquirendum: vel acquirendum perfectionem suam: quare animae praedictae cognoscentes in hora separationis a corpore seipsas diminutas a perfectione, desiderant iterum reuniri cum corpore propter perfectionem acquirendam: quod si non reuniantur, tunc remanerent diminutae a perfectione post exitum ipsarum a corpore, & essent in mundo vanae, & absque utilitate: in natura autem non reperitur aliquid vanum quare & c. Dicunt etiam praedicti, miramur de eo quod affirmavit **Ebencora** in suis argumentis ad probandum, quod animae non consequantur Altenasach, id est permutationem de corpore in corpus: quoniam si non permutarentur de corpore in corpus: tunc in tempore, quo animae reperiuntur inter duo corpora: seu in tempore medio inter separationem animarum a corpore primo, & inter permutationem ad corpus secundum: animae existerent frustra: sed in natura non reperitur aliquid

Avicenna

frustra quare & c. Iste autem **Ebencora** prohibet, & dicit esse impossibile, & inconueniens, quod animae existant frustra in tempore finito seu terminato, et ponit esse necessarium, quod anima remaneat frustra tempore infinito, & mirabilius hoc est: quod dicit scilicet: quod animae post separationem a corpore induunt corpus subtile non simile istis corporibus: & quod animae non liberantur a materia subito vel immediate: immo post tempus quare istae animae non sunt frustra. Sed quaerendum est ab isto Ebencora. Quae sit intentio, vel quod intelligatur, per subtilitatem istius corporis subtilis: an intelligatur, quod sit corpus transparens aut rarum leve. Et **qualcumque** sit tale corpus, est corpus naturale absque dubio subiectum animae, seu deferens animam: quare ipsum erit animal quod non est rationale, neque irrationale: sed hoc est falsum. Haec igitur est summa eorum: quibus arguunt affirmantes Altenasach in communi. Dicentes vero Altenasach fieri, seu animas permutari ad omnem speciem animalis demonstraverunt hoc esse verum: propter hoc quod anima si potuit praeparare sibi habitaculum tale quale est corpus hominis, ipsa etiam potest sibi praeparare habitaculum inferius eo, seu habitaculum minus dignum, quam sit corpus hominis. Et si fuerit illud per potentiam divinam, vel per praedestinationem divinam, aut per regimen coeleste: tunc corpora humana, & corpora animalium non humana ingrediuntur in illo regimine, & in illa potestate seu praedestinatione, & tunc non est prohibitum seu impossibile quod anima habitet in corporibus non humanis. Secundum autem divisionem primam conueniens est, quod quando in anima fuerint mores animalis non rationalis, & talis anima non habuerit nobilitates seu virtutes humanas: tunc potest facere, seu praeparare sibi corpus non humanum, secundum quod diximus, scilicet tunc potest facere, vel praeparare corpus simile sibi in moribus: ita quod si fuerit irascens, potest praeparare sibi corpus leonis: si vero fuerit concupiscibilis, seu inserviens appetitui: tunc potest sibi praeparare corpus lascivientis sicut suis seu porci, & eorum quae sunt sibi similia in moribus: & potest habitare in eis. Secundum vero divisionem secundam dicitur quod conueniens est: quod anima mala vitiosa meretur castigari, & puniri incarcerando ipsam in corporibus cruciatis, tristibus, timore plenis, & fuga. Quidam vero ex eis qui tenent Altenasach,

DE ALMAHAD

& credunt & fatentur legem Maumethanam: dixerunt quod in libro Alcoran Maumethi scriptum est illa iumenta: quae super terram incedunt, & aves: quae alis suis volant, sunt turba similis nobis hominibus: & haec est sententia certa, & vera: propter hoc quod animalia irrationabilia sunt nobis similia. Sed non sunt nobis similia in actu: quare sunt nobis similia in potentia, & nos etiam sumus illis similia in potentia. Quare secundum dicta Maumethi in libro Alcoran aliqui affirmant opinionem Altenasach esse veram. Quidam vero convenientes in Altenasach in communi sed diversi ab eis: qui concedunt Altenasach fieri ad corpora alia ab homine arguunt quod non sit possibile animam humanam permutari ad speciem cuiuscumque animalis. Nam si anima est forma, & perfectio corporis humani, & de natura eius est quod per ipsam differat homo a speciebus diversis: quae non conveniunt in forma differentiali cum totalitate sua omnino, vel cum perfectione sua omnino. Sequitur quod anima non potest permutari in corpora alterius speciei ab homine. Et hoc etiam dixit **Aristoteles** in libro de anima. In **quoties**⁵ enim qui dixit animam hominis ingredi corpus aliud ab homine, asserit esse possibile formam, vel figuram literae **aliae**. Ingressi in materiam literae **.b.** secundum quod est sub forma **.b.** Et consequentia ista est vera, & via seu ratio consequentiae praedictae est, quod homo non est homo per figuram corporalem: neque per virtutem naturalem solam: immo non completur: seu non perficitur humanitas eius nisi per animam suam: quae est principium differentiae ultimae essentialis constituentis speciem: & impossibile est quod in ea communicet species alia quae postea differat per res: quae non sunt differentiae substantiales, sed per accidentia. Non ergo communicat homo in anima sua cum alia specie animalis. Postquam autem commemoravimus demonstrationes: seu rationes hominum ponentium Altenasach, et diversitatem eius inter eos, occurrit nobis locus fallaciae ex sermone ipsorum: ubi praesupponunt ipsi animas praeesistere ante corpora. Postea est locus dubitationis in argumentationibus ipsorum ad probandum illud praesuppositum praedictum ubi dictum est. Quod accidit cum adventu complexionis, est forma materialis. Et haec quidem dicta non sunt prima principia per se nota: neque sunt quid famosum absolute.

Avicenna

Et si fuerint famosa, fortasse non sunt famosa nisi apud quosdam praecipuos sapientes. Amplius, non est necessarium quod sit existentia animae post separationem eius a corpore, sicut existentia ipsius ante ipsum corpus, scilicet antequam uniretur corpori. Possibile enim est, quod ante unionem praedictam non acciderit ei causa impediens ei ingressum ad corpora, seu causa impediens unionem cum corporibus. Et quod postea acciderit ei illud impediens in tempore quo anima existit in corpore. Quum igitur corruptae fuerint praemissae praedictae, non verificantur rationes: quae fundantur super ipsarum admissionem seu ipsarum praesuppositionem. Verum declarem nos declaratione demonstrativa, quod non sit possibile, quod anima post mortem hominis revertatur in corpora omnino. Dicamus ergo, quod non evacuatur, quin aut sit existentia animae in corpore, secundum semitam associationis, vel approximationis animae ad corpus post existentiam ipsius corporis, vel post esse eius, sicut quod extrinsecum ab eo. Aut sit secundum semitam, seu modum adventus animae in eo apud adventum corporis, vel in hora adventus corporis, ita ut sit complexio corporis necessitans adventum eius, vel manationem eius a causa efficiente universali. Aut sit illud a casu, & fortuna. Dico igitur, quod non est possibile, quod anima sit existens ante corpora: quoniam animae humanae sunt unum in specie, & unum in essentia, quod si ipsae extiterint separatae a materia corporali, aut fuit inter eas multitudo, aut fuerunt animae omnes anima una: quod si fuerit inter eas multitudo, & ipsae in intentione sint unum: tunc multiplicatio earum fuit non secundum intentionem: sed per materiam multiplicatam, quae multiplicatur: quando ipsa multiplicat intentiones: vel quae multiplicatur ex multiplicatione intentionum causata per ipsam. Illae ergo animae habuerunt materias diversas, & tales quidem materiae, aut fuerunt materiae ipsarum spirituales, vel intentionales, & tunc de multitudine, seu multiplicatione illarum materialium erit eadem quaestio sicut prius. Aut materiae illae fuerunt corporales quantitative recipientes [multiplicationem] per divisionem quantitatis. Quare animae praedictae fuerunt multae, & divisae per materiam quantam corporalem. Si ergo animae huiusmodi non receperunt multiplicationem per divisionem

Margin1: Alia litera. multitudinem.

DE ALMAHAD

intentionalem, sequitur quod ipsae fuerunt divisae propter multiplicationem materiae quantae individuantis, & dividētis quod unum commune specificum: quare animae praedictae sunt in corporibus, aut fuerunt in corporibus, & iam dictum est, ipsas esse separatas a corporibus, & fuisse ante corpora, & non fuisse in eis aliquo modo: quod est falsum: quare & c. Si vero animae fuerint anima una: tunc anima **Socratis**, & Platonis fuit una numero: quod est falsum. Animae ergo non fuerunt existentes ante corpora omnino. Immo ipsae incipiunt esse cum corporibus, vel immo ipsae adveniunt cum adventu corporum. Et non est possibile, ut sit illud, scilicet unio animae cum corpore, secundum semitam illius: quod est per accidens, vel a casu: & a fortuna: quoniam iam declaratum est in libro philosophiae: quod res naturales non sunt per accidens, vel a casu, quoniam ea quae sunt per accidens, vel a casu sunt raro, vel in paucioribus, res autem naturales sunt aut frequenter, aut semper. Veritas igitur est: quod anima adveniat, vel incipiat esse cum adventu complexionis corporalis: quoniam complexio corporalis est causa, quod ab anima universali, vel intelligentia universali, aut ab aliqua causa abstracta corpus efficiatur recipiens substantiam animae: qua perficitur species illius corporis: quoniam de natura illius causae abstractae est, quod ab ea emanat esse animae quotiescunque [praeparans, vel disponens est complexio, ut faciat corpus dependens cum] illa anima specie aliqua dependentiae non quod imprimatur anima in ipso corpore impressione, qua imprimitur forma **materiales** in materia sua. Immo dependet anima a corpore dependentia, qua operatio ipsius animae transiens indiget eo scilicet corpore. Et principium regiminis intellectualis consistit apud ipsum: seu dependet ab ipso. Intellectio vero est operatio eius existens in substantia sua per se. neque ipsa in esse suo indiget eis, quae sunt extrinseca ab ea: & huius rei confirmatio iam perfecta est in pluribus libris. Cum igitur iam confirmatum sit: quod esse ipsius animae: & adventus complexionis [sunt simul] quare manifestum est: quod quam primum advenerit, vel inceperit esse complexio oportet: ut cum ea adveniat esse animae inceptio: seu ut cum ea incipiat esse anima. Et non est hoc quidem a casu, & per accidens. Immo est res consequens de necessitate. Quando

Margin1: Alia litera. complexio est praeparans, vel disponens, quod a corpore dependeat.

Margin2: Alia litera. se invicem succedunt.

Margin3: Inceperit supple exponendo **ly** inceperit per positionem de **praesenti** scilicet nunc est & immediate ante non fuit.

Avicenna

igitur inceperit complexio corporalis: tunc cum ea incipit esse anima dependens ab ipsa dependentia praedicta. Sequitur quod impossibile est, ut quod dicitur de Altenasach sit verum: quoniam animal est unum per animam unam. Si ergo dicatur, quod positio Altenasach sit vera: oportet ut existant duae animae in corpore uno, scilicet anima adveniens, vel incipiens esse cum inceptio corporis, & anima Altenasach, scilicet quae fuit ante corpus, & permutatur de corpore in corpus, & quaelibet illarum animarum est anima perfecta, & una in specie cum alia. Quum igitur non existat anima in corpore nisi ex parte necessitatis operationis pertranseuntis ad ipsum. Et semper in corpore non est operatio nisi operatio unius animae, non enim est animal, ita ut ipsum cum essentia sua in seipso sit duae res diversae cum duabus operationibus animalitatis. Immo quod est omnino famosum, testificat quod extrinsecum hominis, & reliquorum animalium est una res, & intrinsecum hominis, quo sit cognitio, est una eadem. non duae res diversae: nam extrinsecum hominis, & intrinsecum eius est homo unus, non duo homines. Quare apparet, quod duae animae non existunt simul in corpore: quoniam secunda quae est diversa ab ista, qua sit appraehensio, vel conceptus: & quae operatur operationes in corpore, non habet dependentiam cum corpore: nam dependentia est scilicet quod per eam fiant conceptus, & fiant operationes transeuntis, & dependentes a corpore, quia ipsa scilicet anima secunda non habet esse existere in corpore. Manifestum est igitur, quod cuiuslibet corporis anima advenit, vel incipit esse cum adventu complexionis eius. & quod anima corporis non fuit ante ipsum. neque nunc est informans corpus post separationem a corporibus, quae fuerunt ante. Neque adversatur in hoc intentio de Altenasach, quam dixerunt excellentes philosophi sicut **Plato**, & **Pythagoras**, & sequentes **Pythagoram**. Illud enim quod isti philosophi affirmaverunt de Altenasach est sicut quaedam similitudo: seu metaphora, & est sicut sermo legis divinae. Intentio enim ipsorum fuit improbare habitus malos, seu mores malos: qui remanent in animabus post separationem earum a corporibus. Quando animae ipsae malignae fuerint, & vitiosae. Et cum hoc castigantur, seu cruciantur animae, & sunt ac si ipsae adhuc essent in corpore: quoniam

DE ALMAHAD

existentia ipsarum in corporibus non est cum permixtione, & vicinitate, & impressione in materia. Immo est cum vestigio in eis impraesso, a virtutibus corporalibus: & cum indigentia operationis earum in corpore: seu & cum operatione earum: quae non possunt fieri nisi in corpore. Et istae quidem duae intentiones prohibent animam a perfectione: quae est ei propria, & ab [appetitu: quem ipsa habet in sua substantia.] Quando enim existit unum istorum, vel una duarum intentionum praedictarum, & est vestigium a virtutibus corporalibus impressum in anima remanens post separationem ipsius a corpore: tunc dispositio animae huiusmodi existit, ac si esset in corpore. Et quoniam vestigium malum, vel impressio mala in anima, aut est appetitus concupiscentie brutorum lascivientium, aut est appetitus irascibilis leonini, & est vestigium tunc infixum in anima, seu dominans super animam, ac si esset in corporibus brutorum concupiscentium, scilicet lascivientium vel gulosorum aut leoninorum. Et haec quidem fuit intentio philosophorum praedictorum: quando dixerunt, quod animae malignantium viciosorum permutantur post mortem ipsorum in corpora habentia istos habitus malos scilicet leoninos & concupiscibiles. Et dico quod plurima dicta eorum in quibus fundantur illi, quos inveni, & audivi de secta Altenasach, sunt assumpta ex dictis, & auctoritatibus **Platonis**, & **Bengemar** philosophi, & aliorum. Et non oportet ut in opinione de Altenasach ponatur credulitas propter istas tales argumentationes erroneas, & propter dicta **Platonis**, & aliorum male intellecta. Quum igitur sit reprobatum Mahad solis corporibus attribui, & reprobatum sit etiam Mahad corpori, & animae simul convenire, & similiter reprobatum sit ipsum Mahad inesse animae, secundum viam Altenasach: sequitur quod Mahad soli animae conveniat, secundum quod post ea confirmabimus. Et hoc totum, quod diximus de Mahad, scilicet, quod Mahad soli animae conveniat, est dictum secundum discursum rationis, vel secundum intellectum purum. Secundum vero discursum permixtum cum eis: quae ad fidem pertinent, & secundum revelationes legum divinas veras, & credendas oportet affirmare Mahad attribui corpori, & anima simul, & credere ipsum futurum esse: & iam nos verificavimus, &

Margin1: Alia litera. operatione quae inest ei in substantia sua, & a cognitione cum delectatione: quae est ei propria.

Avicenna

declaravimus hoc in libro nostro Alsepha, id est philosophiae naturalis.

De reprobatione dicentium fieri Altenasach.

DICENTES autem Altenasach fieri & c. In hac parte Avicenna intendit reprobare opinionem Altenasach, & dividitur in duas partes principales, in prima ponit rationes, quibus fundatur Altenasach, in secunda confutat rationes praedictas, & demonstrat falsitatem eorum. Partes patebunt. Primum argumentum Altenasach est clarum non indigens expositione.

ET DIXERUNT etiam si animae sunt existentes ante corpora, sicut est sententia verior & c. Nota quod **ly** sententia verior potest referri ad opinionem ponentium Altenasach, & potest referri ad Avicennam, qui velit affirmare hic, quod animae fuerint ante corpora, sicut Plato, & alii philosophi clarissimi dixerunt.

AMPLIUS plurimae sunt demonstrationes. hic ponit aliam rationem. Litera patet. NAM SI animae, hic Avicenna probat secundum opinionem Altenasach animas non incipere esse cum esse corporis, sed quod ipsae fuerint ante corpora. HORA qua corpus habuit esse existere, secundum complexionem suam, id est hora, qua corpus habuerit complexionem proportionatam pro forma humana, seu pro anima intellectiva. Et si anima inciperet esse in hora, & in instanti quo materia, & corpus fuerit dispositum, & habuerit complexionem humanam, tunc anima esset de numero formarum materialium, quarum esse dependet a materia, & a complexione, & corpore impossibile est autem huiusmodi formas materiales in aliqua hora separari a materia, vel a corpore, quare non est dicendum, quod animae humanae incipiant esse cum corpore. Quod autem formae substantiales materiales non possint in aliqua hora separari a materia declaratur, quoniam in tali separatione, aut permutaretur substantia ipsarum, aut accidentia earum: si dicatur quod permutaretur substantia ipsarum, tunc propter talem separationem a materia, & a corpore non essent eadem formae substantiales materiales, quae prius erant, immo essent substantiae ipsarum animarum materiales iam corruptae, ex eis enim non remaneret aliquid post hominis corruptionem, cum ipsae animae sint substantiae simplices: ex hoc igitur, quod sunt substantiae purae, si substantiae ipsarum permutarentur, sequitur quod ipsae corrumpantur & nihil de ipsis remaneret, si ergo dicatur quod animae incipiunt cum corpore, sequitur, quod ipsae sint materiales, & corrumpantur propter incorruptionem hominis quod est falsum, si vero negatur, quod animae sint substantiae simplices, immo dicatur, quod sint substantiae compositae ex materia & forma, & quod in separatione animarum a materia alteratio sit adveniens illi materiae, ex qua componitur substantia animae, ita, quod talis materia componens substantiam animae est subiectum permutationis in hora separationes animae a corpore, et quod talis materia compositionis

DE ALMAHAD

sit permanens, & stabilis, quare in hora separationis animae praedictae, vel formae materialis praedictae a corpore non corrumpitur anima praedicta, quae incepit esse cum corpore, tunc sequitur ex tali dicto, ut materia componens formas materiales praedictas, et animas praedictas sit alia, et diversa ab illa materia prima, per cuius comparationem formae praedictae, & animae praedictae denominatae sunt formae materiales, & sic essent duo genera materia, & materia non esset una, sicut dicunt philosophi, sequeretur, quod illa materia componens substantiam **animarum** esset **fundata** in alia materia. scilicet in materia prima.

ET DE ipsa esset eadem quaestio, id est, & de ipsa materia, ex qua componitur substantia formarum materialium praedictarum, esset eadem, quae fuit supra. Nam quaerendum est, utrum talis materia componens, quae est pars animarum praedictarum permutetur in hora separationis animae a corpore, aut non permutetur, non est dicendum, quod non permutetur, quia sicut forma materialis permutatur, secundum substantiam, permutantur etiam partes eius substantiales. Quare materia componens formas materiales permutatur, & tunc quaeratur, an sit simplex talis materia, secundum substantiam suam, aut composita: si simplex ergo in tali permutatione corrumpitur, & nihil remanet de ipsa, si composita ex materia, & forma, sicut prius dicebatur de forma materiali, tunc quaeritur an ista materia, quae est pars materiae praedictae, in separatione praedicta permutetur secundum totum, quia sit simplex, an sit composita ex alia materia, & forma, & tunc quaeratur etiam de ista ultima materia, & sic in infinitum, quare responsio praedicta scilicet quod animae & formae materiales praedictae in hora separationis a corpore permutantur secundum substantiam, & quod sint compositae ex materia & forma est falsa. Si vero dicantur, quod in separatione animarum praedicta non permutantur animae, secundum substantiam, sed secundum accidentia, & quod essentiae ipsarum sint firmae, & stabiles IN DUABUS dispositionibus, id est ante separationem ipsarum a corpore, & post separationem tunc sequitur, quod approximatio animarum cum corpore, vel cum materia esset accidens ipsis, & sic ipsae in sua substantia non inhererent. immo non indigerent materia, dictum est autem ipsas inherere materiae, quia inesse suo dependent a complexione, neque incipiunt esse nisi, quando materia est disposita & complexionata, ideo videtur, quod animae praedictae dependeant a complexione, & inhereant materiae cum sua substantia, & hoc est falsum, quare falsum est dicere, quod animae incipiant esse cum corpore.

AMPLIUS si substantia ipsarum animarum & c. In hac parte assignat aliam rationem, & praesupponit, quod substantia animae non sit inherens materiae, quia supra probatum est, ipsum non esse formam materialem dictum est etiam supra ab adversario, quod in separatione animae a corpore non permutatur substantia animae, sed permutatur solum accidens, quia

Avicenna

permutatur tantum unio, & approximatio animae prius factae cum corpore, approximatio fuit accidens, quod anima in sua substantia non indiget materia, neque inheret materiae, si ergo substantia animae non inheret materiae, sequitur, quod ipsa non possit induere materiam, quare tunc ipsa esset extensa ad extensionem materiae, & esset forma materialis inseparabilis a materia, quod est contra eos, qui ponunt animas non fuisse ante corpora sed advenire, & incipere esse simul, cum corpore, & sic patet qualiter argumentum procedit, & litera est clara.

ET LICET animae sint separate & c. haec est pars argumenti praecedentis. Pro declaratione istius partis sciendum, qualiter animae secundum quod formae non possunt separari a corpore secundum esse, licet sint separatae a summa praedicta scilicet a dimensione, & quantitate, et divisione etc. Nam animae humanae secundum quod sunt formae corporis, sunt principium operationum in corpore, & tamen non sunt intra corpus humanum, neque extra corpus humanum, & hoc totum manifestatur per exemplum solis. Nam sol, ut patet, est principium generationis, et corruptionis in hoc mundo inferiori mediante sua virtute influxa, & suo calore, et tamen sol non est forma intrinseca huius mundi inferioris, neque est extensus ad extensionem mundi inferioris, neque est inherens terrae, sicut forma substantialis mixtorum, & sicut aliae formae materiales, quare sol non est intra mundum, neque intra terram. Sol etiam non est extra hunc mundum inferiorem, neque extra terram, quia si sit, tunc absque sole fieret generatio, & corruptio & c. Quia igitur sol imprimatur in hoc mundo inferiori, ideo sol non est extra hunc mundum, neque separatur a mundo secundum esse, neque est intra mundum, ut dictum est. Eodem modo dicendum de anima intellectiva, quod ipsa non est intra corpus, neque extra corpus humanum. Quod non sit intra corpus humanum declaratur, quia anima non est extensa ad extensionem corporis, neque est forma materialis quantitativa inherens materiae: quare ipsa anima non est intra corpus humanum, neque ipsa est extra, quia ipsa anima, secundum quod forma corporis, & dum informat corpus, est principium operationum corporis: & licet anima separata sit a conditionibus, & dimensionibus corporis, quia ipsa non est quanta extensa, tamen ipsa anima non separata est a corpore secundum esse, quia ipsa est causa esse, et vitae corporis humani. Si enim ipsa secundum quod forma, & dum informat corpus separari posset secundum esse a corpore, tunc corpus humanum vivere posset absque anima, quod est falsum quare ipsa non est extra corpus humanum. Et sicut dictum est de anima intellectiva, ita verificari potest de Deo glorioso, quod ipse Deus non est in mundo, neque est extra mundum: verificatur primo, quod non est in mundo, quia non est quantum, neque quale materiale, quare Deus non est in mundo sicut dictum est, quod anima non est in corpore. Deus etiam non est extra mundum, quia ipse est primum movens, & prima causa in mundo universo

DE ALMAHAD

quae non potest secundum esse separari ab universo mundo, quare non est extra mundum: sicut ergo dictum est de anima, quod ipsa non est intra corpus humanum, neque extra ipsum, & cognoscitur qualiter anima operatur in corpore, & est principium vitae corporis humani, ita cognoscitur, quod Deus non est in mundo, & quod non est extra mundum, & cognoscitur, qualiter Deus sit causa omnium, quae fiunt in universo mundo. Et ex hoc patet verificatio dicti Avicennae in prohemio sui compendii de anima, ubi dicit quod in Alcoran scriptum est, quod qui cognoscit animam suam, cognoscit etiam creatorem suum, scilicet Deum gloriosum. Et verificatur tale dictum, quia qui cognoscit, qualiter anima sua non est in corpore, neque extra corpus suum, cognoscit similiter, quod Deus non est in mundo, neque extra mundum, & sic cognoscit Deum creatorem suum. Et talis verificatio & expositio auctoritatis praedictae assumptae ab Avicenna ex libro Alcoran approbatur apud theologos, & philosophos Maumethanos, et apud ipsos habetur talis expositio praedicta tanquam quid dignum, & secretum. Redeundo ad propositum ex praedictis apparet qualiter animae licet sint separatae a summa praedicta conditionum corporis, quod ipsae non sunt extensae, neque quantae & c. tamen ipsae dum informant corpus, non sunt secundum esse separatae a corporibus suis, neque possunt separari. Et si aliqui opinati sunt illud, iam opinati sunt falsum, & Aristoteles in lib. metaphisicae declaravit errorem ipsorum, & dixit, quod si animae in aliqua hora essent separatae a materia, supple secundum esse, dum ipsae informant, tunc ipsae non essent formae dependentes a complexione corporali, neque essent formae simplices purae in materia existentes, quod est falsum, ex hoc enim dicuntur animae esse formae simplices purae in materia existentes, & a materia complexionali dependentis, quia ex hoc, quod ipsae non sunt extensae, neque quantae, dicuntur formae simplices purae, non permixtae cum materia, neque cum materia quanta, et quod non sunt extensae. Sunt autem in materia existentes, quia ipsae informant materiam, & ipsae dependent a materia complexionali, quia ipsae non perficiuntur nisi mediante operatione transeunte, sicut cogitatio & similia, necesse est enim intelligentem fantasmata⁶ speculari etc. quia igitur animae non sunt formae separatae materia secundum esse, licet sint separatae a summa praedicta scilicet a quantitate etc. sequitur, quod animae non sunt de numero eorum, quae incipiunt esse cum corpore, quare sequitur, quod ipsae fuerint ante corpora, quare argumentum Altenasach est verum. Et litera patet.

IN DISPOSITIONE secunda, id est in hora, qua est separata a materia, cum qua fuit unita.

ET MIRABILIIUS hoc & c. sciendum quod Ebencora dixit, quod animae post separationem ab hoc corpore uniuntur cum alio corpore subtiliori, ne fiat transitus de extremo ad extremum, postea vero quum animae fuerint

⁶ We can find *phantasmata* in dictionaries.

Avicenna

perfectae, & dispositae, ut uniantur cum intelligentia universali, tunc separantur a corpore illo subtiliori, & uniuntur cum intelligentia universali, scilicet cum Deo glorioso.

HAEC IGITUR est summa & c. postquam Avicenna adduxit rationes probantes Alenasach esse in genere, & in communi, consequenter adducit rationes in particulari, scilicet rationes eorum, qui affirmant Alenasach fieri ad omnem speciem animalis.

ET SI fuerit illud per potentiam & c. id est & si praeparatio corporis humani pro habitaculo animae fiat per divinam potentiam, tunc corpora humana, & non humana ingrediuntur in ILLO REGIMINE, scilicet divino, ita, quod regimem divinum potest esse causa quod anima humana habitet in corpore humana, & in corpore non humano.

SECUNDUM divisionem primam, id est secundum eos, qui ponunt quod anima praeparet sibi habitaculum.

SECUNDUM vero divisionem secundam, id est secundum eos, qui dicunt animam habitare in hoc vel in illo corpore ex regimine divino causante hoc.

NON EST possibile quod revertatur anima, supple sicut dixerunt tenentes Alenasach, sicut QUID extrinsecum supple, & sicut praecedens ad corpora.

QUONIAM complexio corporalis est causa & c. Nota quod Avicenna in sua philosophia in lib. de viribus cordis dicit: quod quoties materia est disposita, & complexionata pro anima intellectiva, aut pro alia forma recipienda, tunc intelligentiae universalis, et **datores formarum** influunt in tali materia formam proportionatam illi complexioni, & hoc facit subito, & absque avaritia & c. Litera patet.

QUOTIES complexio est praeparans, vel disponens & c. Nota quod quoties materia est complexionata, & disposita pro forma hominis, tunc intelligentia influit, ut dictum est, in tali materia animam intellectivam, quae non dependet in esse ab illa materia, sed dependet ab illa materia complexionata aliqua specie dependentie, secundum operationes ipsius transeutes, puta movere corpus, & exercere operationes, quae mediante organo corporali efficiuntur. Et anima quidem in sui principio est sicut **tabula rasa**, & continue magis, & magis cognoscit, & perficitur in cognitione sua mediantibus sensibus, sensus enim, & phantasia est principium regiminis intellectus, quia necesse est intelligentem phantasmata speculari & c. Anima igitur mediante corpore, & mediantibus operationibus transeutibus, & operationibus sensitivarum virtutum, & motivarum perficitur in cognitione, & in intellectione sua. Et ideo dependet anima a corpore non secundum esse, sed secundum operationes transeutes, & **sensitivas** ac motivas, quibus mediantibus cognoscit, et intelligit, Nam ominis nostra

DE ALMAHAD

cognitio ortum habet a sensu. Et licet principium intellectionis dependeat a corpore, tamen intellectio universalium acquisita post abstractionem, quae intellectio universalium est appropriata substantiae animae, non dependet ab eis, quae sunt extrinseca ab ea.

TESTIFICAT quod extrinsecum hominis & c. id est non testificat quod pars exterior hominis, et pars interior, qua fit appraehensio sint duo homines, sed testificat quod sunt unus homo tantum, quia principium vitae & operationum in parte exteriori, & parte interiori est unum principium Nam operatio animalis, & operatio naturalis, quae est in parte exteriori, & interiori sunt una, non duae diversae procedentes a divesis principiis, quare & c.

QUONIAM secunda quae est, id est quoniam secunda anima, quae fuit ante corpora secundum Altenasach, & quae est diversa ab ista, quae advenit cum corpore, & quae appraehendit, & concipit & c.

ET CUM hoc castigantur id est. Et cum hoc habitu malorum morum in anima remanente post mortem cruciantur animae, & castigantur, quia tunc cognoscentes imperfectionem suam, & vitia sua tristantur in seipsis tales enim habitus mali vitiosi remanent post mortem hominis in anima, ac si adhuc anima esset unita corpori.

ET ISTE duae intentiones & c. scilicet dependentia animae a corpore secundum operationes transeuntes. Et vestigium impressum in anima a virtutibus sensitivius, quod vestigium impressum prohibent & c. patet. Sed quod dependentia praedicta prohibeat declaratur: quia quamdiu anima est imperfecta in cognitione sua, tandiu dependet a corpore secundum operationes transeuntes, & operationes sensitivas, quae sunt principium intellectionis. Anima vero, quae est perfecta, & habituata scientiis speculativis, & practicis, non amplius dependet a corpore aliqua specie dependentiae, & tunc separata a corpore unitur cum intelligentia universali, & cum ipso Deo, qua unione perficitur animae cognitio, & completur eius perfectio. patet ergo qualiter dependentia prohibet & c. scilicet a perfectione completa, ET A COGNITIONE quae fit cum delectatione. Anima enim non impedita a sensibus, & a rebus mundanis appraehendit universalialia, et speculabilia cum maxima delectatione, & cognitio Dei, & substantiarum abstractarum in alia vita fit cum maiori delectatione, & anima vitiosa imperfecta impeditur a tali cognitione, & ab appetitu, & desiderio cognitionis praeditiae: patet enim, quod homines mundani non appetunt cognoscere praedicta immo vilipendunt. quare & c. Nam intentio philosophorum, qui dixerunt, quod animae malignantium vitiosorum permutantur post mortem ad corpora brutorum habentium habitus malos scilicet lasciviae sicut porci, irae sicut leonis, non fuit, quod animae realiter, & actualiter permutentur ad corpora brutorum praedictorum, sed intentio fuit, quod anima gulosi, luxuriosi, post

Avicenna

mortem, & post separationem a corpore remanet cum habitu malo vitioso in luxuria, & gula, ac si adhuc esset in corpore humano vitioso, in quo prius erat, et ac si esset in corpore porci, et talis anima vitiosa dicitur methaforice permutari post mortem ad corpus porci, quia in ipsa anima separata a corpore remanent habitus vitiosi mali similes habitibus gulosis, & vitiosis, qui sunt in porco. Et similiter anima hominis irascibilis superbi post mortem dicitur permutari ad corpus leonis, quia in anima praedicta remanent habitus similes eis, qui sunt in leone: & philosophi dixerunt illud methaforice, ut populi magis, & melius percipiant, & appraehendant & tales populi credentes animas suas permutari ad corpus porci, aut leonis, & similium, abhorrent talem permutationem fieri, unde abstinent se a vitiis similibus, & malis moribus. Ponentes igitur Altenasach, qui fundantur in dictis philosophorum praedictis male intellexerunt auctoritates, & dicta philosophorum puta **Platonis**, & aliorum.

Capitulum quartum de Alaniae hominis permanente.

Homo quando incipit considerare de re, propter quam dicitur homo, vel propter quam dicitur, quod ipsae sit ipsemet, & dicit seu respondet sibi ipsi, & imaginatur quod illud sit venter eius, & corpus ipsius. Postea quando cogitat, aut intuetur, seu perscrutatur, cognoscit quod manus eius, & pedes ipsius, & costae, & reliqua membra manifesta, licet non essent pars corporis sui, non tamen propter hoc destrueretur intentio: quae sibi attribuitur, vel quae de ipso praedicatur. Et ex eo scit quod istae partes corporis sui non sunt ingredientes in hanc intentionem, donec perveniat ad membra principalia, sicut cerebrum: cor, & hepar, & quae currunt cursu ipsorum. Nam apud separationem multorum, ex eis non destruitur ab ipso haec essentia subito, sed fortasse post tempus paucum, aut multum: & remanet cor, & cerebrum. Quando quod vero cerebrum tolerat, ut ab ipso separetur pars: & tamen est illa intentio firma permanens in illo homine. In corde vero non est possibile illud in eo secundum esse: sed bene secundum imaginationem. Nam quando quod homo scit, quod alaniae suum de quo loquitur existit, & est possibile, ut non sciat tunc an habeat cor, & quale sit, & quid sit, & ubi ipsum cor sit: multi enim sunt homines, qui non viderunt cor: & tamen credunt, & fatentur ipsum esse ex auditu non ex cognitione certa, et putant quod cor sit stomachus.

DE ALMAHAD

Ex impossibilibus autem est, quod sit una res quae sciatur, & ignoretur simul, aut quod sit pars illius rei unius ingrediens in essentia, quam habet, postea sciatur illa res una absque quod sciatur pars eius praedicta. Iam igitur confirmatum est ex hoc, & manifestum: quod corpus cum totalitate sua, seu cum singulis, vel omnibus partibus eius, non est ingrediens in intentionem: quae de homine consideratur: Immo fortasse est subiectum eius, aut substans ei, aut sedes eius: quamvis sit aliud ab ea: & extra essentiam eius. Verum homo est consuetus, seu habituatus cum eo, & in eo multas habet sensationes: quare dubitatur an sit res una cum corpore: ita ut putetur, quod ipsa sit ipsum: quare fit ei molestum, & difficile separari ab illo corpore. Nam ipsi homini displicet, et molestum est separari a multis extrinsecis ab eo propter consuetudinem, & habitationem factam cum illis: ita, & multo amplius molestum est ei separari a corpore sibi consueto. Verificatio autem praedictorum est, quoniam homo, & res considerata de homine super quam cadit intentio anime, est ipsius essentia vera, & est res ex qua scitur, quod ipsa est anima de necessitate. Et non timetur: neque speratur nisi malum, & bonum evenientia ad ipsam in veritate. Malum enim, & bonum evenientia ad ea, quae sunt extrinseca ab ipsa, non conveniunt, vel non adveniunt ipsi animae in veritate, sed per communicationem, & propter causam illius in quo communicant de tristitia, & dolore, & laetitia, & quod advenit ipsi corpori puta dilectio, & ira, & consuetudo, & habitatio, & bonum, & malum advenientia non adveniunt animae nisi secundum divisionem secundam. Manifestum est igitur ex his quod intentio eius, quod homo dicit: scilicet eveniet mihi bonum: aut malum in veritate: est illud quod advenit soli animae ipsius. quum manifestum sit, quod hoc individuum quod est aliud a corpore, est ipsa anima, & bona, & mala advenientia corpori eius sunt extrinseca ab ipsa anima, & non communicat ipsa in eis, nisi secundum semitam praedictam. Quum ergo considerat homo, quod haec anime ipsius, id est haec ipsius essentia fuerit iam expoliata, vel denudata ab istis, quae corpus consequuntur, & privata fuerit speciebus delectationis, & doloris: quas prius habebat per communitatem cum corpore: tunc ipsa existit, sicut ille, qui privatur delectationibus & doloribus,

Avicenna

& laesionibus existentibus In fratribus, vel amicis suis: quando privatus fuerit fratribus, vel amicis praedictis. Et quando acciderit dolor, & delectatio ei appropriate: tunc ipsa est, quae dolet, & delectatur in veritate. Et hoc quidem erit in Mahad. Verum dominatio corporis eius super animam, & imaginatio, quod corpus eius in ipso sit alanie ipsius, id est essentia ipsius, est causa, quod homo obliviscitur animae suae & putat aliud ab ea esse alanie suum, id est essentiam suum. Et putat, quod bona, & mala ipsius sint bona, & mala ipsius corporis per se. Et putat homo, quod quando privetur illis bonis, & malis, scilicet corporis, quod iam privetur bono, & malo absolute. Et putat quod non habeat foelicitatem, dum non habet foelicitatem corporealem. Et putat etiam, quod non insit ei poena, vel cruciatus dum non habet poenam, vel cruciatum corporeum. Et non est possibile removeere hoc ab hominibus vulgaribus, subito & in prima locutione. Quare necessarium est his qui tribuunt, vel publicant leges, ut dicant de spe praemii, vel beatitudinis, & de timore poene, vel cruciatus, quod foelicitas alterius vitae, & praemium erit cum delectatione sensuali. Et quod poena, vel cruciatus alterius vitae erit cum dolore sensuali, & intentio, quidem in hoc capitulo est removeere animas sapientum a falsitare istius opinionis praedictae, et ab imaginationibus: quas multi opinati fuerunt dicentes, quod si ipsi in alia vita non erunt corporei, & non fuerint secundum hanc formam, vel secundum hunc modum, secundum quem sunt in hoc mundo, sed erunt privati corporibus ipsorum: tunc erunt conversi ad res alias, & non erunt ipsimet praemiati, & puniti. Et dicunt, quod si ipsi in alia vita non consequentur aliquid de delectationibus sensualibus, aut poenis sensualibus: dubitandum quae res sit illa, quae sit speranda, & quae sit timenda in alio mundo. Si ergo praemiati, & puniti in alia vita non erimus nos corporei sicut nunc sumus operati bonum, aut malum: sed pars nostra puta anima praemiabitur, aut punietur in alia vita: tunc est ac si dicatur, quod pars nostri verbi gratia manus, aut pes nostri solummodo praemiabitur aut punietur: quod est absurdum. Et istae quidem sunt opiniones, vel imaginationes quibus animae communiter decipiuntur. Quaerem dum enim quod praemium, & poena esset ex hoc conveniens

DE ALMAHAD

nobis pro operibus bonis: aut malis. Et huiusmodi quidem imaginationibus animae communiter decipiuntur. Quum ergo confirmaverimus quod [nos non vivimus nisi per animas nostras.] Et verificaverimus, quod animae nostrae sunt remanentes post corpora nostra, apparet ex hoc, quod in vita alia non erimus permutati: aut conversi ad res alias: immo erimus nos denudati ab eis: quae nos induimus, & quae sunt a nobis extrinseca. Quare in qualibet duarum dispositionum erimus nos ipsimet non permutati ad res alias diversas ab ea quae nos ipsimet nunc sumus: neque remanebunt in alia vita partes ex eis, quae nunc sunt in nobis.

Declarationes super capitulo quarto.

HOMO quando incipit considerare & c. In hoc capitulo Avicenna perscrutatur rem permanentem, per quam homo substantialiter dicitur homo. Et quia in homine sunt membra corporis, & anima ipsius, Ideo Avicenna probat, quod talis res permanens, per quam homo substantialiter dicitur homo, quam rem appellat Alanie, non sit aliquod membrorum, neque corpus deinde infert, quod talis Alanie sit anima intellectiva, quia per ipsam corpus humanum reponitur in specie, & ipsi animae attribuuntur operationes hominis, tamquam primo principio. Et quod ipsi animae conveniat praemium verum, & poena vera: & per consequens affirmat, quod ipsi animae remanenti post separationem a corpore conveniat Mahad, & non corpori. Quod autem aliquod membrorum non sit Alanie praedictum, patet per discursum positum ab Avicenna, quia quodlibet membrorum, praeter cor, potest separari secundum totum, vel secundum partem ab homine, & tamen adbuc remanet realiter homo: & per consequens remanet illud per quod homo essentialiter, vel substantia liter seu actualiter, vel realiter dicitur homo; Et ideo nullum membrum Alanie dici potest Alanie praedictum, neque cor est Alanie propter rationem, quam adducit Avicenna, scilicet quod impossibile est, quod idem sciatur & ignoretur. Omnes etiam affirmant, quod non est idem corpus, & eadem membra realiter a pueritia usque ad senectutem propter continuam resolutionem, & restaurationem, & tamen dicitur quod essentia istius, vel illius hominis est eadem a principio vitae, usque ad finem, & cum nulla pars corporis sit permanens, sicut anima intellectiva, ideo essentia realis hominis, & res per quam homo realiter, vel substantialiter est homo est ipsa anima intellectiva dependens a corpore, secundum operationem transeuntem propter perfectionem, & cognitionem, dico dependens usque ad mortem. Dictum est autem essentia realiter per quam homo realiter est homo, quia licet diffinitio hominis dicatur essentia hominis, tamen, quia illa est quaedam intentio composita ex genere, & differentia, & dependens ab opere intellectus.

Margin1: Alia litera in nobis non vivit nisi anima nostra.

Margin2: duarum dispositionum id est in hac vita, & in alia non erimus permutati sicut ascribit praecedens opinio.

Margin3: partes ex eis id est partes corporeae, & extrinsece ab anima.

Avicenna

Ideo ipsa diffinitio non est essentia realis, per quam homo substantialiter vel realiter dicitur homo, quae essentia dicitur Alaniae, & de qua est hic sermo, litera est satis clara quare & c.

NON SUNT ingredientes in hanc intentionem, id est non sunt seu non dicuntur Alaniae, neque habent intentionem Alaniae, quia non sunt res per quam homo substantialiter, vel realiter dicatur homo, DONEC perveniat, scilicet eius cogitatio, seu discursus hominis perscrutans Alanie praedictum.

NAM APUD separationem multorum ex eis. supple membris, non destruitur ab homine haec ESSENTIA scilicet hominis, per quam homo realiter dicitur homo. EST ILLA intentio, id est illa essentia, per quam homo dicitur homo firma & c.

NON EST ingrediens in intentionem, scilicet Alanie. IMMO fortasse supple corpus hominis est subiectum. & c. QUAMVIS sit aliud ab ea, id est quamvis corpus sit aliud ab ea, scilicet intentione praedicta de Alanie, & extra essentiam eius. VERUM homo est consuetus, id est verum homo essentialiter, & homo cui operationes hominis attribuuntur, tanquam primo principio operationum & vitae, quod quidem principium est anima intellectiva, per hominem igitur intelligitur hic homo essentialiter, scilicet anima intellectiva, & patet, quod anima est consueta, & habituata cum corpore, & in eo multas habet sensationes, id est passiones corporeas, quae incipiunt a corpore, & in animam per communitatem postea terminant, ex qua quidem consuetudine homo, & anima immersa in istis sensibilibus dubitat an ipsa sit res eadem quod corpus, & putat, quod sit ipsum corpus, & propter consuetudinem quam habet anima cum corpore, molesta est ei & difficilis est separatio eius a corpore, sicut molesta est separatio hominis ab aliquo loco consueto, & ab homine amico consueto & c.

VERIFICATIO autem praedictorum, id est verificatio, quod corpus, & quodlibet membrum eius non sit Alanie, seu essentia hominis, sed extrinsecum ab ea, est quoniam homo substantialiter, vel essentialiter, & res considerata, id est res considerata de homine super quam cadit intentio Alanie est ipsius essentia vera, & est res, per quam scitur, quod ipsa est anima id est & est res per quam cognoscitur, quod tale Alanie, & essentia hominis est ipsa anima de necessitate. Et operationes quidem, quae alicui homini absolute attribuuntur, non convenit ut attribuantur alicui membro, neque corpori secundum quod corpus, sicut intelligere, fabricare, quando enim dicimus quod homo aliquis intelligit, aut fabricat, aut movet, non est intentio quod aliquod membrum, aut corpus secundum quod corpus intelligat, aut fabricet, aut moveat. De intellectione patet: de motione vero declaratur quia corpus secundum quod corpus non movet, aut fabricat, sed dicitur, quod homo movet, aut fabricat, & similia: & sensus istius propositionis homo intelligit,

DE ALMAHAD

aut movet, & quod homo substantialiter intelligit, aut movet: & homo substantialiter est Alaniae hominis seu essentia, aut id, per quod hoc corpus est homo, & talis essentia, & alaniae est anima intellectiva, quae ponit corpus humanum in specie hominis, & quae est principium omnium operationum, et quae remanet eadem continue, corpus vero, & membra eius non remanent idem materialiter a principio usque ad finem propter continuam resolutionem, & restaurationem. Anima igitur est illa, cui tanquam primo principio attribuuntur operationes. Et licet secundum **Aristoteles** qui dixerit animam intelligere est, ac si dicat animam texere, aut filare, hoc intelligitur de anima per se sola, & de intellectione, quae ortum habet a sensu, quia anima per se sola absque dependentia a corpore non potest habere talem intellectionem, & sic anima de se sola non intelligit, sed anima dependens a corpore aliqua specie dependentiae, de qua dependentia dictum est supra in praecedenti cupitulo. Et anima sic dependens est homo substantialiter. dictum est autem supra, intellectio universalium, & substantiarum abstractarum acquisita est propria substantiae animae, & quando anima vult exire ex habitu ad actum talis intellectionis, non indiget corpore, sed intellectio quae ortum habet a sensu, attribuitur animae, pro ut a corpore dependet. Et anima non unitur corpori, nisi ut mediantibus sensibus perficiatur & acquirat intellectionem substantiarum nobilissimarum, qua intellectione acquisita, anima tunc perfecta secundem hanc non indiget corpore. Patet igitur quando dicit quod homo intelligit, aut movet & c. quod tales operationes attribuuntur alicui homini absolute, id est alicui homini substantialiter, seu alicui animae secundum quod ipsa dependet a corpore. Et sicut operationes quae attribuuntur homini absolute non corpori secundum quod corpus, neque membris eius, sunt attributae animae tanquam primo principio, ut dictum est, ita dicendum, quod & bonum, & premium, quod homo sperat in hoc mundo, & in alio pro suis bonis operibus, & malum seu poena quam timet habere pro malis operibus non sunt nisi bonum, & malum, quae in veritate evenient ipsi animae: sicut enim operationes bonae, aut malae attribuuntur homini substantialiter, seu animae ipsius, ita praemium, & poena debent ei attribui in veritate, & tale praemium, aut talis poena non erit, nisi bonum, aut malum, quod est proprium ipsi animae. Et propter hoc Avicenna in hac parte dixit ET NON timetur, neque speratur & c. MALUM enim, & bonum evenientia ad ea, quae sunt extrinseca ab ipsa anima, non evenient ipsi animae in veritate, sed per communicationem & c. Ex his verbis innuit Avicenna quod bonum, & malum quoddam est, quod est proprium animae, & quoddam non proprium animae, sed advenit per communicationem, sicut dicitur **.2.** de anima, quod quaedam passio incipit ab anima, & redundat in corpus, & quaedam est, quae incipit a corpore, & redundat in animam. Delectatio ergo corporalis, & poena corporalis non advenit animae nisi per communitatem

AVICENNA

corporis, & talis delectatio, et poena non est propria animae. Et sicut dicitur, quod gaudium, & dolor parentis, aut amici tui non est gaudium tibi proprium, aut dolor tibi proprius, sed per communitatem: ita, delectatio, aut poena, quae est propria corpori, non advenit animae nisi per communitatem, sicut gaudium, & dolor, vel tristitia propria amico tuo advenit tibi per communitatem. Et sicut quando privatus fueris parentibus, aut aliquo amico, tunc eris privatus, & expoliatus a gaudio, & tristitia, quae tibi adveniebat per communitatem ipsorum, scilicet propter bonum, aut malum, quae eis proprie contingebant: similiter anima, quando est unita corpori patitur per communitatem ex delectatione, & dolore advenientibus proprie corpori, sed quando erit separata a corpore, tunc erit expoliata bonis, & malis, quae per communitatem ei adveniebant, dum erat unita corpori. Ad propositum redeundo: aliqua est delectatio, & poena quae propria est ipsi animae, & aliqua est propria ipsi corpori. Quando igitur acciderit delectatio, aut poena, quae sit propria ipsi animae, tunc anima delectabitur aut dolebit, seu tristabitur in veritate: & hoc quidem erit in Mahad, id est, & haec delectatio propria ipsi animae, aut poena appropriata animae erat in Mahad, id est in alia vita, SECUNDUM divisionem secundam, id est secundum communitatem cum corpore non animae in veritate. HOC INDIVIDUUM, id est hoc Alaniae, scilicet homo essentialiter SECUNDUM semitam praedictam, id est secundum communitatem cum corpore praedicta HAEC ALANIAE ipsius, id est haec essentia ipsius, scilicet haec anima ipsius EI APPROPRIATA, id est appropriata homini essentialiter.

VERUM dominatio corporis super animam & c. In hac parte Avicenna declarat, quod licet ita sit, quod quaedam sit delectatio, & poena propria ipsi animae, & quaedam per communitatem. scilicet propria corpori, tamen homines vulgares non percipiunt delectationem, & poenam propriam animae, sed solum percipiunt delectationem, & poenam corporalem, scilicet appropriatas corpori. Et hoc provenit, quia corpus dominatur super animam, id est sensationes dominantur super animam, unde homo non percipit nisi sensibilia. Et quia homo deditus sensibilibus non scientiis speculativis obliviscitur animae, id est ignorat animam suam, & ignorat bona, & mala animae propria. Et putat, quod bona, & mala ipsius animae non sint nisi bona & mala corporis. Et putat quod non sit foelicitas, aut poena alia a foelicitate, & poena corporali. Et vulgares communiter hoc imaginantur, neque est possibile ab eis removere talem ipsorum imaginationem VICE una, & subito, quare fuit necessarium eis, qui leges publicaverunt, ut loquent de praemio, aut poena alterius vitae dixerint, & affirmaverint foelicitatem alterius vitae fore cum delectatione sensuali, & poenam fore cum dolore sensuali.

DE ALMAHAD

ET INTENTIO in hoc capitulo & c. In hac parte Avicenna declarat quod intentio sua in hoc capitulo est remove a sapientibus opinionem de mahad falsam, quam praedixit, & remove etiam a sapientibus imaginationes falsas, quas multi opinantur de Mahad dicentes, quod si ipsi & c. Litera patet. SI ERGO praemiati, & puniti in alia vita & c. Id est si in alia vita non erimus corporei, sicut nunc sumus, & non praemiabitur neque, punietur nisi pars hominis puta anima, tunc est ac si dicatur, quod pro bonis, et malis operationibus, quas homo in hac vita scilicet corpus cum anima operatur, non punietur aut praemiabitur, nisi pes hominis, aut manus hominis tantum, quod est absurdum, quia quaerendum qualiter ex delectatione, praemio aut poena pedis tantum aut manus tantum sequatur, & fiat remuneratio. aut punitio iusta, & aequalis pro bonis, & malis operibus commissis non solum per manum aut pedem, sed per totum corpus, & per animam similiter: & patet quod si pes, aut manus tantum praemiabitur, aut punietur, non erit secundum iustitiam rectam: similiter si in alia vita non erimus cor porci, neque erimus praemiati, vel puniti nisi secundum animam, tunc praemium, & poena non erit conveniens secundum iustitiam rectam, has ergo imaginationes falsas impressas in mentibus vulgarium Avicenna in hoc capitulo intendit remove, ab hominibus sapientibus, & non intendit remove hoc ab hominibus vulgaribus quum ipsi non sint capaces ad veritatem appraehendendam.

QUUM ergo confirmaverimus & c. In hac parte concludit, & respondet rationibus praedictorum habentium opiniones falsas de Mahad. dicit ergo. Cum ergo confirmavimus supra, quod nos non vivimus, nisi per animas nostras, quia anima est primum principium omnium operationum hominis, & homo non est homo essentialiter nisi per animam, ut supra diximus, & animae sunt remanentes post corpora nostra, ut supra dictum, & in sequenti capitulo esse dicemus, apparet, quod nos homines in alia vita, licet non erimus corporei, tamen non erimus conversi ad res alia, sicut supra arguebatur: immo post mortem in vita alia erimus denudati ab eis, quae nos induimus, & quae sunt a nobis extrinseca, quia ut supra dictum est, homo substantialiter est ipsa anima, quae induit corpus, quod quidem corpus, & quodlibet membrum simul cum accidentibus sunt res extrinsecae ab anima: & sicut in hac vita dicimus, quod licet corpus non sit idem a principio vitae usque ad finem propter continuam resolutionem, & restorationem, tamen semper est idem homo substantialiter, quia est eadem anima, quae non variatur aliquo modo substantialiter, ita post mortem erit eadem anima, quae prius fuit in hac vita, quare in qualibet duarum dispositionum, scilicet in hac vita, & in alia erit idem homo substantialiter, qui fuit in hac vita, & nos ipsimet, qui nunc sumus, erimus idem substantialiter in alia vita non conversi ad res diversas a re, quae nos ipsimet nunc sumus. Homo igitur substantialiter

Avicenna

erit in alia vita idem met, qui nunc est in hac vita, neque in homine remanebunt in vita alia partes, quae nunc sunt in nobis supple corporeae, & extrinsecae ab anima, & ab homine substantialiter.

Capitulum quintum de affirmationibus, vel demonstrationibus, quod anima in esse existere excusatur a corpore, vel quod anima existere possit absque corpore.

Iam attulimus in pluribus librorum nostrorum declarationem substantiae animae, & praecipue in expositione nostra super librum Aristotelis de anima. Quod autem ex illa expositione est assumendum compendiose in hoc libro est, ut demonstratione arguamus, quod anima humana nominata anima rationalis, non sit impressa in materia, neque eius existentia est per corpus, & hoc quidem demonstrabimus pluribus viis. Quarum una est ista. Non est possibile, quod aliquod corporum habeat virtutem infinitam omnino: neque est possibile, ut sit virtus infinita reperta, vel existens in corpore: quoniam omne corpus est divisibile in partes, vel susceptibile divisionum in partes. Virtus ergo in eo existens erit susceptibilis divisionum in partes de necessitate: quare virtus cuiuslibet illarum partium, aut erit finita [ex summa] in finiti: quod potest super omnia, & tunc si virtus cuiuslibet illarum partium praedicta est finita, sequitur quod totum aggregatum sit finitum. Et hoc opponitur virtuti infinitae, quare totum potest super finita, vel erit virtutis finitae. & hoc est falsum, & contrarium eius, quod dicebatur. quare & c. Aut quaelibet pars, aut pars aliqua potest super omnia, super quae potest totum, et hoc quidem est impossibile. nam virtus totius vehementior, & fortior, quam virtus partis, & magis resistens. Quare manifestum est ex hoc quod non est possibile, quod virtus infinita sit in corpore finito. Amplius anima est infinitae virtutis: nam species intelligibiles: quas ipsa potest appraehendere, sunt infinitae: quoniam quaedam intelligibilia sunt res physicales, & mathematicae, & intentiones metaphysicales divinae, & virtus animae potens super quaslibet illarum, quae sunt infinitae: est virtus una. Unde manifestum est, quod impossibile est, quod anima sit corporea. neque est possibile, ut ipsa sit in corpore, ita ut sit virtus in corpore. neque est possibile etiam ut ipsa sit in re indivisibili de his quae

Margin1: Alia litera. existens pars totius.

DE ALMAHAD

sequuntur, vel comitantur corpus, sicut in puncto, de quo quidem, & de partibus, quae dividuntur, iam determinatum est in libris mathematicae. & philosophiae naturalis. Punctus enim non est de his de quibus possibile est dicere, quod ipsa recipiant aliquam speciem complexionis apud aggregationem, vel mixtionem elementorum: ita, ut fiant per ipsam complexionem disposita ad recipiendum animam: quum dicatur quod existens animae in corpore sit secundum hanc semitam: neque complexio est in re indivisibili. Immo non accidit ei complexio aliqua omnino nisi secundum relationem, & abstractionem intellectivam, non secundum intentionem rerum existentium in esse firmo, & est ut sit extremitas partis aelementi, quod est simplex illud corporis, in quo est anima. Et sicut ipsa pars est extremitas corporis in veritate sic vel ita quod in ea fundatur, vel inhaeret, est extremitas per accidens, quia ipsum inhaeret corpori, vel fundatur in corpore, quare. ipsum est quantum per quantitatem corporis. Et hoc est quod volumus dicere pro ratione ista. Praeterea punctus habet situm, & anima non habet situm, neque per se, neque per accidens, scilicet sicut albedo, & caliditas habent situm per accidens ratione corporis in quo sunt. Et demonstratio illius est quoniam intentio, vel species intelligibilis non habet situm: quoniam si ipsa haberet situm, tunc non evacuatur quin, aut ipsa haberet situm, qui posset demonstrari digito, vel sensu in aliqua differentia positionis: aut haberet situm per comparisonem partium ad invicem. Et punctus quidem habet situm, secundum intentionem primam, & non habet situm, secundum intentionem secundam. Quod si formae intelligibiles, seu [species intelligibiles] haberent situm, sicut punctus: tunc ipsae essent [ipsimet termini rerum, aut per se sicut in spaciis, vel in dimensionibus, aut per accidens sicut in eis, quae fundantur, vel inhaerent in spaciis, vel in] dimensionibus. quaelibet ergo forma intelligibilis considerata per se ad id quod fundatur in materia, est eius extremum, & hoc est falsum. Si vero species intelligibiles haberent situm de intentione secunda, tunc haberent terminum aliquem situs, vel quantitatem aliquam situs in figura, & magnitudine, & parvitate: quoniam iam declaratum est, quod omne habens magnitudinem habet quantitatem terminatam. Si ergo homo perceptus

Margin1: quare ipsum scilicet quod est inhaerens corpori, vel fundatur in corpore est quantum & c.

Margin2: Alia litera. animae.

Margin3: Alia litera: animae terminorum per se, vel eorum, quae sunt extrema rerum per se, sicut dimensionum, aut essent animae eorum quae sunt extrema per accidens sicut, quae fundantur in.

Avicenna

ab intellectu habet in intellectu quantitatem terminatam: & homo perceptus ab intellectu, est ipsamet intentio in qua non diversificatur aliquis ex hominibus, & est ipsamet essentia, diffinitio pura hominis, vel essentia pura hominis: & si haec intentio est homo ab intellectu perceptus, & est unus notus, vel, & est quod unum notum: tunc necessarium est quod illa quantitas commensurata, vel determinata percepta ab intellectu sit opposita, vel proportionata, quantitati commensuratae, vel determinatae existenti, extra intellectum: quare tunc esset necessarium, ut quantitas, vel commensuratio omnium individuorum hominis in magnitudine, & parvitate esset una, & hoc est falsum. Et similiter necessarium esset, ut dispositiones membrorum intrinsecorum essent in situ uno, & hoc est impossibile. quare manifestum est, quod formae intellectuales non habent situm. Et haec quidem demonstratio non affirmat esse impossibile formam intelligibilem: vel speciem intelligibilem abstractam esse in puncto tantum: sed etiam, quod sit impossibile ipsam esse in corpore, & in quolibet habente situm ex eis quae habent quantitatem: quare manifestum est ex hoc quod anima est separata a materia per se, & non ingrediens in numero eorum, quae sensu demonstrantur esse hic, vel illic: neque eorum quae sunt termini, aut extrema rerum dimensionatarum: neque anima est in numero eorum, quae sunt in loco omnino. Formae autem sensibiles, vel species sensibiles, quia sunt habentes situm, non sunt universales: & necessarium est, ut quantitates earum impressae in instrumentis sensuum, sint proportionatae, vel conformes quantitibus earum existentibus in sensatis. Exempli gratia quando aliquid sensatum imprimit speciem suam in humiditate glaciali oculi: tunc in ea species illa stat habens situm, & quantitas imprimens minor ea imprimit in ipsam speciem minorem quam illa, quando fuerit in eadem distantia. Et quantitas maior illa imprimit speciem maiorem. Et unaquaeque istarum quantitatum existens ad extra habet quantitatem (a) ad intra in ea, Si ergo species intelligibiles, vel formae, quae sunt in anima, haberent situm necessarium, esset ut res separatae a materia, haberent situs conformes, vel proportionatos (b) [formis eorum vel speciebus suis, quae sunt in intellectu.] Nam illae res

Margin1: a. ad intra in ea id est habet quantitatem sibi proportionatam impressam intra in ipsa glaciali intrans in ea.

Margin2: b. Alia litera. sitibus formarum, vel specierum suarum in intellectu existentium.

DE ALMAHAD

separatae a materia non habent nisi unum esse tantum, quod est esse intelligibile. Et non valet, seu non verificatur contrarium istius sermonis, scilicet quod res sensatae non habeant situm ut [sit proportio, vel conformitas inter ipsas, & inter illa sensata] quae ex eis sunt intellecta: quum omne sensatum habeat duo esse: scilicet unum eorum est esse: quo habet esse sensatum vel perceptum a sensu, & est aliud ab esse intellecto ipsius omnino, & tale esse sensati est esse habens situm. Esse vero sensati secundum, est esse, quo habet esse intellectum, vel ab intellectu perceptum, et tale esse non habet situm. quare veritas est, quod species intelligibiles sensorum opponuntur, vel conformantur esse ipsorum denudato a situ. Et ex eis quae verificant, & manifestant: quod anima substat, vel existat per se non in materia, est quod non evacuatur quin eius operatio intellectiva sit perveniens, ex essentia ipsius sola: quae non indiget in operatione re alia ab essentia sua: quae res sit ei instrumentum vel organum. Aut operatio eius, scilicet intellectiva fit cum instrumento, vel organo, & corpore, in quo ipsa existit. Quod si illa operatio eius provenit ex essentia sua: tunc ipsa habet essentiam, & est simplex per se: quoniam si ipsa non haberet essentiam simplicem, vel puram: tunc ipsa non haberet operationem proveniente ab essentia simplici, vel sola: quoniam operatio est post essentiam. Si ergo essentia per se est separata: est possibile, vel est concedendum, ut sit operatio per se separata non secundum esse. Et si operatio est secundum esse separata: tunc iam essentia prius, vel dignius existit secundum esse separata. Non est autem possibile, quod essentia sit per se, non secundum esse separata, & quod operatio sit per se, & secundum esse separata. Quod si quis contradicens arguat contra hoc, dicens quod natura est forma materialis, & ipsa cum hoc movet materiam suam, vel materiam in qua ipsa est, & operatio sua, quae est movere, vel motio, invenitur separata: quoniam movere, vel motio inest ipsi solum, & emanat ab ea solum: [materiae vero inest moveri tantum] Respondetur, quod operatio naturae est motio, quae est inseparabilis: quoniam essentia motus existit in materia, & motio est motus per se: quamvis diversificentur respective, vel relative. Et motionis quidem essentia quae est esse relativum, non habet esse existere, vel **subsentia**⁷

Margin1: Alia litera. correspondeant vel **proportionentur** illis sensatis.

Margin2: Alia litera. materia vero est **im** mota.

⁷ این صفحه نوشته sub و صفحه بعد نوشته sentia. احتمالاً این sub خلاصه substantia است و اون sentia تکه دوم essentia بوده است. حالا به خود متن عربی باید رجوع کنیم.

AVICENNA

quae est esse relativum, non habet esse existere vel subsistere per se, neque est in movente, sed in re mota, & iam dictum est hoc in libro philosophiae naturalis **nominato** alsemha quod ipsa natura est operatio id est virtus ad quam sequitur operatio. deinde quod ipsa sit impressa vel immersa in materia. Et materia quidem patitur ab ea propter existentiam ipsius in ea, quoniam esse ipsius est [facere, vel imprimere, & substantia eius est illud: & per comparisonem operationis ad ipsam est ei res substantialis.] ita ut quando existit, & reperitur substantia eius: tunc reperitur operatio eius: Nos vero non loquimur hic de his: quae currunt hoc cursu. Immo loquimur de his: quorum operatio non est sua essentia. Sed est res consequens essentia eorum non de necessitate: quoniam illa quae prius dicta sunt sic se habent: quod ubi reperitur essentia eorum, illic etiam reperitur operatio eorum. Neque oportet quod huiusmodi essentia ipsorum prius subsistat, deinde adveniat ei operatio ipsorum: ita ut perveniat operatio ab ipsa sola, non indigens organo, neque materia, propter hoc quod essentia sua subsistit pura ante operationem. Res autem cuius essentia existit vel reperitur, & non operatio, deinde invenitur ab essentia eius operatio per se: non indiget in ea instrumento, & materia: quare manifestum est, quod materia non est substantialis ei in re cum qua efficitur operans: neque est ei essentialis ex illa parte: neque res: qua efficitur operans, est ex rebus substantialibus ei, ita ut sit pars diffinitionis eius, & ita ut materia etiam sit pars de numero partium diffinitionis eius, aut sit extrinseca a diffinitione ipsius. Et si ita else: tunc esset possibile quod quaedam pars diffinitionis praecederet quandam aliam partem eius: aut pars diffinitionis praecederet ad id quod non est pars diffinitionis. Verum non est possibile ut illud quod non est pars diffinitionis, praecedat ad id quod est pars diffinitionis. Quare manifestum est ex hoc, quod non est possibile omnino ut aliquid de numero eorum, quorum essentia praecedit operationem suam, sit habens essentiam non separatam & operationem non separatam. Et anima quidem humana non evacuatur quin, aut in eius intellectione suorum intelligibilium operetur mediante instrumento vel organo suo & materia sua: aut operetur per essentiam suam: Sed dicamus quod non fit illud mediante organo neque mediante **materia**

Margin1: Alia litera. agere, vel quod ab ea perveniat actio. Et illa eius substantia per comparisonem operationis eius ad **ipsam** est ei res talis.

Margin2: Alia litera. agere, vel quod ab ea, perveniat actio & substantia eius illa per comparisonem operationis eius ad ipsam: est ei res substantialis in quantum quando existit & c.

DE ALMAHAD

Omnino: quoniam anima rationalis intelligit organum suum, & essentiam suam, intelligit [quod ipsa intellexerit.] Et inter ipsam quidem animam, & inter suum organum & materiam, non est materia neque organum: Et non est etiam inter ipsam animam, & inter essentiam suam, intellectionem suam, organum aliud. Anima igitur rationalis quando que intelligit per essentiam suam. & operario eius quando quod fit per esentiam suam solummodo. Neque operatio eius illa est substantialis ipsi animae intellectivae, quum eius essentia **fit** separata ab organo, & a materia: Et quia sensus non sunt separati a materia, in quibus sunt, & est possibile, quod ipsi sensus sentiant se sentire cum organo: neque sentiant organum suum: quamvis ipsum sit substantia sensata: neque sensus sentiunt essentiam suam, neque sensationem suam. Et iterum si anima rationalis existeret in materia, tunc intelligibilia excellentia super eam fortia in esse suo **nel** in intentione sua, et multum imprimant magnam facerent impressionem in materia. quare debilitarent ipsam virtutem intellectivam, & eam corrumpent, sicut visibilia fortia debilitant visivam virtutem, et visum, immo destruunt ipsam: & audibilia fortia similiter nocent auditui. Sed res non est sic in anima rationali. immo quanto magis reiterata & multiplicata fuerit intelligibilia fortia: tanto plus augetur virtus eius: Amplius. si anima rationalis existeret in materia: tunc ipsa post impressionem intelligibilium fortium in eam, non apprehenderet intelligibilia debilia propter dominium impressionis **fortis** super materiam. sicut oculus non videt res parvas existentes in parvo lumine post impressionem factam a luce forti vel a lumine forti. Et auris non audit voces parvas post strepicus fortes, & voces fortes. Anima autem rationalis quanto intelligit intelligibilia fortia: tanto augetur virtus eius postea super intellectionem debilem vel super intelligibilia debilia. Et iterum, si anima rationalis existeret in materia: tunc ipsa debilitaretur cum debilitatione materiae de necessitate, & tunc senectus in omnibus dispositionibus debilitaret virtutem rationalem, sicut debilitat virtutes sensitivas & motivas existentes in materia. Sed in multis senibus immo in plurimis ipsorum illuminatur virtus intellectiva, & fortificatur apud horam debilitatis corporis post annos quadraginta, quae aetas est status

Margin1: Alia litera. seipsam intellexisse.

Avicenna

virtutum corporearum, & praecipue apud annos sexaginta: in qua aetate corpus eam incepit debilitari. Anima ergo rationalis non est existens in corpore Et iterum, omnia intelligibilia secundum quod sunt intelligibilia sunt (a) [quid unum,] vel sunt intentio una. Et non est possibile ut forma (b) [quae est species vel intentio in qua plura uniuntur vel conveniunt] sit existens in corpore omnino: quoniam omne corpus est divisibile. Et posito quod essentia (c) [multorum] intelligibilium multiplicetur: multa tamen ex ipsis intelligibilibus, sicut unitas, & punctus, sunt intentiones expoliatae a multitudine vel a multiplicatione, & non tolerant divisionem. Quomodo enim est possibile quod huiusmodi intelligibilia fundentur in re divisibili habente partes, & quod in partibus eius sint partes intentionis intelligibilium: & (d) [quod partes speciei intelligibilis sint] conformes vel proportionatae partibus substantiae intellectae (e) [si fuerit quanta, tunc cum quantitate conformantur: & si fuerit cum intentione, tunc conformatur] cum intentione. Amplius, non quodlibet est divisibile per quantitatem: neque quodlibet est divisibile per intentionem. Et iterum unum quod ex rebus quavis multiplicetur secundum substantiam, tamen secundum diffinitionem unam, quae ei attribuitur vel appropriatur: est ex eis quae sunt unum in quo non est multitudo. quia necessarium est, ut secundum quod illa res est unificata, vel quid unum: quod partes eius sint unificatae vel quid unum: & illa multitudo destruat in eis, & quod ipsae sint reductae ad invicem vel in unum collectae: Et non est possibile ut sit omnino in materia intentio aliqua istius conditionis ita ut sint partes eius unificatae vel in unum reductae (f) [esset subiectum eius sit materia unificata, vel materia habens] partes unificatas, & quod corpus ingrediatur corpus: immo omnis forma habens partes in materia corporali, est divisibilis in partes, & unaquaeque pars est super partes de per se. neque ipse partes possunt aliquomodo unificari, & fieri unum quare manifestum est quod species intelligibilis non est in materia. Conclusum est igitur quod essentia hominis est substantia separata existens per se.

Declarationes super Capitulo quinto.

IAM autem attulimus etc. In hoc capitulo Avicenna probat quod anima sit per se subsistens vel existere possit absque corpore, & quod ipsa in esse existere suo excusatur a corpore & non indiget eo, & per consequens

Margin1: Alia litera. a. unificata.

Margin2: Alia litera. b. unificata, vel species unificata.

Margin3: Alia litera. c. quorundam.

Margin4: Alia litera. d. partes quidem specierum intelligibilium sunt.

Margin5: Alia litera. e. quae si fuerit quanta vel habens quantitatem, seu partes quantitativas tunc partes specierum praedictarum conformantur eis cum quantitate. Si vero fuerit intentionalis vel habens partes, secundum intentionem, tunc partes specierum praedictarum conformantur per intentionem vel.

Margin6: Alia litera. f. cum dispositione sua sit in materia unificata, vel in materia habente.

DE ALMAHAD

Probat, quod anima remaneat post mortem, & corpus est quid extrinsecum, ab anima, quod supra in praecedenti capitu. promisit probare. & Avicenna nititur demonstrare conclusionem praemissam multis rationibus, quibus visis patebit animam post mortem remanere, & non indigere corpore. Unde faciliter percipi poterit quod mahad soli animae conveniat, sicut supra affirmatum est, & infra melius declarabitur: & hoc capitulum dividitur in plures partes sicut plures adducit rationes: partes patebunt suis locis. Nota quod **Sanctus Thomas** contra gentiles libro.2.cap.51. probat quod substantiae intellectuales sunt forma per se subsistentes non materiales quasi esse earum non dependeat a materia vide ibi.

NON EST possibile etc. haec est prima ratio Avicenna in qua praesupponit duo. Primum quod non est possibile quod aliquod corpus habeat virtutem infinitam omnino. Secundo, quod non est possibile ut virtus infinita sit existens in corpore & c. Et licet ista duo videantur importare idem, tamen sunt diversa, quia corpus habere virtutem infinitam est habere ipsam per se essentialiter, aut tanquam sibi proprium, aut accidens. Sed virtutem infinitam esse incorporat importat aliquid esse in corpus tanquam extrinsecum a corpore, sive illud sit substantia sive aliud ab ea, litera est clara.

AMPLIUS anima est infinitae virtutis: haec est ratio confirmans praesuppositum Et **Sanctus Thomas** contra gentiles libro secunda capit.49. ubi probat quod substantia intellectualis non est corpus, dicit in nullo corpore finito potest esse potentia infinita, ut supra libro primo cap. ibi quod deus non est corpus & c. potentia autem intellectus est quodam modo in finita in intelligendo, in infinitum enim intelligit species numerorum & eas augendo, & similiter species figurarum & proportionum infinitarum cognoscit etiam universale quod virtute infinitum secundum suum ambitum, continet enim individua quae sunt potentia infinita intellectus ergo non est corpus etc. NEQUE est possibile etiam ut ipsa anima sit.

IN RE INDIVISIBILI de his, quae comitantur corpus sicut in puncto: in hac parte Avicenna probat quod anima non potest esse in re indivisibili de his quae conicant vel consequuntur corpus, sicut punctus & linea, & similia, huiusmodi enim dicuntur consequi corpus, quia sunt in corpore terminantia ipsum corpus seu dimensiones eius, & tamen non sunt pars corporis, punctus enim licet terminet lineam, tamen non est pars lineae: & dicimus quod in linea sunt puncta infinita. probat igitur hic Avicenna quod anima non sit in puncto, quia anima non recipitur in corpore nisi mediante complexione, nam materia, ut supra dictum est, non recipit animam, nisi materia sit organizata, et complexionata pro forma humana: sed quia in puncto non potest recipi complexio, ideo in puncto non potest recipi neque existere anima intellectiva. SECUNDUM hanc semitam id est mediante complexione.

AVICENNA

IMMO non accidit & c. id est immo non accidit ipsi puncto vel indivisibili complexio aliqua, nisi secundum relationem et attributionem abstractivam intellectus, id est nisi per accidens, & per respectum ad aliud, puta per respectum ad corpus vel partem corporis, in quo est anima, nam si in corpore praedicto & parte ipsius est complexio, & punctus sit extremitas corporis praedicti, sequitur quod in puncto sit complexio per accidens, & per respectum ad aliud, & intellectus non attribuit puncto & indivisibili complexionem nisi per relationem et respectum ad corpus vel partem eius cuius punctus est extremitas, & non attribuitur ei scilicet indivisibili complexio aliqua secundum intentionem rerum existentium in esse firmo id est secundum intentionem, qua aliquid attribuitur alicui per se, non per respectum ad aliud: & hoc modo complexio accidit & attribuitur corpori composito ex elementis, quia ei convenit complexio per se & secundum esse, non per respectum & attributionem abstractivam per respectum ad aliud ab intellectu factum.

ET EST ut sit extremitas, in hac parte declarat Avicenna qualiter indivisibili non attribuitur nisi secundum relationem & per respectum ad aliud non secundum intentionem rerum existentium id est non per se. Dicit enim Avicenna & est ut sit & c. id est et quod complexio attribuatur indivisibili secundum relationem ad alium est possibile ponendo, quod punctus seu indivisibile praedictum sit extremitas partis elementi, quod quidem elementum est simplex & est pars componens illud corpus, in quo est anima: pars enim integralis dicitur simplex per respectum ad suum totum, & dicitur etiam elementum ipsius largo modo. Et sicut ipsa pars scilicet elementi praedicta est extremitas corporis in veritate, & per se: sic dicendum, quod illud quod fundatur in parte praedicta est extremitas per accidens, quia inhaeret parti praedictae, & corpori praedicto: quare huiusmodi inhaerens corpori est quantum per quantitatem corporis. Albedo enim inhaerens corpori, & parti extremae corporis est quanta per quantitatem corporis, cui inhaeret, & talis albedo etiam est extremitas corporis per accidens quia inhaeret parti corporis, quae in veritate est extremitas corporis. Similiter indivisibile sicut punctus est accidens inhaerens parti extremae corporis, & est extremitas per **accidens**, quia est quantum & extremum ratione partis corporis cui inhaeret, & quae in veritate est pars extrema corporis. Et sicut esse extremitas corporis non attribuitur puncto per se et secundum intentionem rerum existentium in esse, sed attribuitur per accidens secundum relationem & respectum abstractivum, ut dictum est, similiter complexio aliqua non accidit vel non attribuitur puncto et rei indivisibili scilicet puncto, nisi per accidens & per respectum ad partem corporis, cui inhaeret punctus & hoc est quod volumus dicere in hac ratione.

PRAETEREA punctus habet situm haec est alia ratio per quam probat

DE ALMAHAD

quod virtus infinita, & anima quae est virtus infinita non sit in re indivisibili, puta in puncto. Nam punctus habet situm: anima vero non habet situm nec per se nec per accidens: ergo anima non est in re indivisibili nec in puncto. ET DEMONSTRATIO illius, id est demonstratio, quod anima non habeat situm: est, quoniam intentio intelligibilis & species intelligibilis non habet situm, quia ipsa abstrahit a situ & loco, cum sit species intelligibilis universalis, quae abstrahit ab hic et nunc & ab omni particularitate: talis autem species intelligibilis recipitur in anima, & omne, quod recipitur, non recipitur nisi secundum modum recipientis, ergo si talis species intelligibilis abstrahat a materia, & a quantitate & a situ, aliter non esset species intelligibilis universalis, sequitur quod anima recipiens talem speciem sit abstracta a materia et a quantitate & a situ: probatur autem, quod species intelligibilis non habeat situm, quoniam si haberet situm, tunc aut habet situm, qui digito potest demonstrari scilicet quod sit situata in hoc vel in illo loco ad sensum manifesto, aut habet situm per comparisonem partium adinvicem, puta situm quadratum, aut triangularem, aut situm superiorem vel inferiorem, & sic de aliis. Et punctus quidem habet situm secundum intentionem primam, quia potest demonstrari quod sit in hoc vel in illo loco. in quo est pars corporis vel quantitatis, cuius punctus est terminus vel extremum, & punctus non habet situm secundum intentionem secundam, quia non habet situm triangularem qui situs resultat ex ordinatione partium ad invicem. Quod si species intelligibiles haberent situm sicut punctus scilicet habet situm de intentione prima, tunc ipse species essent ipsimet terminorum per se in spatiis vel in dimensionibus, aut per accidens, quia inhaerent alicui, quod terminat spatium vel dimensionem: si ergo species intelligibiles haberent situm sicut punctus, sequitur quod ipse haberent naturam puncti: & sic sicut punctus terminat in dimensionibus, ita & species intelligibiles essent termini. Et sic quaelibet species intelligibilis considerata ad id & c. id est quaelibet species intelligibilis causata a re, quae inhaeret materiae esset extremum illius rei per re spectum ad illam rem, cuius est species, & hoc est falsum: quare & c. Vel secundum aliam litteram. Quod si formae intelligibiles seu animae id est si animae haberent situm, sicut punctus, tunc ipsae animae essent animae eorum quae sunt per se, aut quae sunt extrema per accidens: & sic animae non essent animae & formae corporum, sed essent animae indivisibilium, & punctorum, et extremorum, quia animae haberent situm, sicut punctus: & convenit cum ipsius dispositione, & sic quaelibet forma intelligibilis & anima per respectum ad rem aliquam fundatam in materia in qua dicimus esse animam, esset extremum illius rei, & esset forma illius extremi indivisibilis, & non forma corporis: hoc autem est falsum, quare omnino est dicendum, quod anima habeat situm, aut quod species intelligibiles habeant, sicut punctus.

Avicenna

SI VERO species intelligibiles habeant situm de intentione secunda. In hac parte probat, quod species intelligibiles non habent situm etc. quia tunc haberent magnitudinem & quantitatem, & sic species intelligibilis hominis in universali haberet quantitatem & c. sed talis species hominis est hominis essentia una, in qua omnia singularia hominis conveniunt, sequitur quod si talis species & talis essentia una habet in intellectu quantitatem, tunc omnia individua hominis convenirent in una quantitate & haberent unam quantitatem, nam quantitas in homine percepto ab intellectu in universali oportet, quod correspondeat vel sit proportionata quantitati ad extra, sicut ergo in essentia hominis percepta ab intellectu est quantitas communis, ita oportet quod ad extra sit illa quantitas, in qua omnes homines convenirent, quod est falsum. ET HAEC quidem demonstratio. Pro declaratione istius sciendum, quod Avicenna supra postquam demonstravit animam non esse in corpore subiungit dicens, quod nec est possibile ipsam esse in puncto: et hoc pluribus rationibus declaravit, ut supra visum est, In hac parte dicit, quod demonstratio praecedens non solum affirmat speciem intelligibilem: vel secundum aliam literam formam intellectualem non posse esse in puncto, immo quod non est possibile ipsam esse in corpore, & in quolibet habente situm per se, quae sunt de his, quae habent quantitatem: quare ex su supradictis manifestum est, quod anima in qua recipitur species intelligibilis universalis abstracta a situ & quantitate, est separata a materia, & non est de numero eorum, quae sensu demonstrantur esse hic vel illic, neque anima & species intelligibilis est terminus vel extremitas rei, sicut est punctus, neque etiam est de numero eorum, quae sunt in loco omnino. Ex praemissis ergo patet, quod anima non est in corpore, neque in situ, neque in loco, neque in puncto, neque in aliquo indivisibili: anima ergo est separata a materia, et in esse suo existere non indiget corpore.

FORMAE autem sensibiles vel species sensibiles. In hac parte respondet tacitae obiectioni, & ponit differentiam inter speciem intelligibilem, & speciem sensibilem, quia licet species intelligibilis non habeat situm, neque quantitatem ut dictum est, tamen species sensibilis habet quantitatem, & situm, quia non sunt universales, sicut sunt species intelligibiles, & necessarium est ut sicut sensata sunt quanta, et habentia quantitatem, & situm, ita species sensibiles impressae a rebus sensatis in organo visus, puta in glaciali humiditate oculi habeant quantitatem, & situm conformem quantitati rerum sensatarum ab extra, quae imprimunt species in oculo. Exempli gratia, quando aliquod corpus rebeum imprimit species suam in humiditate glaciali oculi, & quod videtur tunc in oculo vel in glaciali est species corporis rubei ad habens quantitatem, & situm conformem quantitati & situi corporis rubei ad extra: quod declaratur, nam si corpus rubeum praedictum est tripedale, & oculus videat & discernat esse tripedale.

DE ALMAHAD

Et si corpus album minus quam corpus rubeum puta pedale videatur: & corpus aliud maius quam corpus rubeum, puta quadrupedale videatur, tunc oculus non potest videre corpus maius et corpus minus quam tripedale: nisi quodlibet illorum de per se imprimat speciem sensibilem sibi proportionatam & conformem, & per consequens oportet quod corpus tripedale imprimat speciem quantitatis tripedalis: & pedale imprimat speciem pedalis & c. quare corpus rubeum imprimit speciem sensibilem habentem quantitatem in oculo conformem quantitati corporis **rubaei** ad extra, & sicut dictum est de corpore rubeo, ita dicatur de corpore maios, & minori, quam corpus rubeum, Quodlibet enim istorum quando, videtur, tunc in oculo existit species sensata impressa ab unoquoque, & habens quantitatem conformem unicuique illorum: Corpora ergo visibilia, quando videntur si sunt diversimode coloratae & diversarum quantitatum, imprimunt in oculo & in glaciali diversas species colorum & diversas species quantitatum, & unumquodque per se sicut imprimit speciem propriam coloris, ita etiam imprimit speciem propriam quantitatis conformem quantitati corporis sensati: & haec omnia verificantur, quando corpora praedicta sunt in eadem distantia; quia ubi corpus magnum videretur in magna distantia, & corpus minus in distantia propinqua: tunc species sensata corporis magni non corresponderet quantitati ad extra propter distantiam & c. ubi ergo diversa corpora diversorum colorum, & magnitudinum, in eadem distantia videantur, tunc quaelibet species illorum impressa in oculo ab eis: habet quantitatem propriam vel speciem quantitatis conformem quantitati cuiuslibet illorum corporum ad extra: quia ergo species sensibilis in organo sensus est habens quantitatem, ideo talis species sensibilis non est universalis. species autem intelligibilis est universalis, & ideo non habet situm, neque quantitatem, quia species universalis abstrahit ab hic & nunc. Et si dicatur quod intellectus intelligens aliquod particulare, puta individuum hominis, et talis species habet quantitatem conformem quantitati particulari illius hominis, ergo intelligibilis habet quantitatem, sicut species sensibilis: dicendum quod intellectus non intelligit per se primo nisi universalia per species universales abstractas ab intellectu agente a conditionibus particularibus, & si intelligit particulare puta individuum hominis: puta hunc hominem non intelligit nisi per reflexionem, ut omnes philosophi affirmant quare etc. Redeundo ad propositum: species sensibiles in glaciali habent situm, & quantitatem correspondentem quantitati & situi, ad extra, ut dictum est, sed species intelligibiles non habent situm, si enim haberent situm, tunc necessarium esset, ut res separatae a materia haberent situm, situs **proportionatos** speciebus suis intelligibilibus in intellectu existentibus, quas species

Avicenna

intelligibiles tu dicis habere situm in intellectu: sicut enim species sensibiles habent situm & quantitatem correspondentem situi et quantitati sensorum ad extra, & sicut res sensata ad extra habet situm & quantitatem, ita species sensibiles sunt habentes situm & quantitatem correspondentem & c. Eodem modo dicatur, quod si species intelligibiles in anima existentes situm, oportet quod species intelligibiles rerum separatarum a materia ab anima intellectarum habeant situm in anima, & per consequens quod res separatae a materia extra animam haberent situm conformem situi specterum intelligibilium suarum in intellectu existentium: species enim intelligibiles in intellectu eius oportet ut sint conformes rebus ad extra intellectis, & imprimantur species intelligibiles sibi proprias & convenientes: Res autem a materia separatae non habent situm, & non habent nisi unum esse tantum, quod est esse intelligibile: esse enim ipsarum est esse intelligibile tantum, quia esse suum non imprimit nisi in intellectu species & non in sensu, sicut faciunt res materiales sensatae, quae imprimunt species in sensu & in intellectu, sed alio & alio modo, quare res materiales habent duo esse ut infra declarabitur, sed res a materia separatae non habent nisi unum esse, quod est esse intelligibile. & propterea esse suum correspondet & conformatur species suis in intellectu existentibus: si ergo species intelligibiles suae praedictae habent situm in intellectu, sequitur quod res separatae a materia haberent situm ab extra, quod est falsum, ut patet, ergo species intelligibiles non habent situm, & per consequens non possunt recipi nisi in substantia separata a situ & a quantitate. Anima ergo intellectiva, in qua recipiuntur species intelligibiles, non habet situm neque quantitatem & c.

ET NON valet seu non verificatur, contrarium istius sermonis. In hac parte Avicenna respondet tacitae obiectioni: aliquis enim posset ex argumento supradicto quod res sensatae ad extra non haberent situm quod est falsum, sicut enim supra argutum est affirmative, quod si species intelligibiles haberent situs in intellectu, tunc necessarium esset, ut res separatae a materia ab intellectu perceptae haberent extra animum situs proportionatos et conformes sitibus specierum suarum in intellectu, ita posset argui negative, quod si species intelligibiles sensorum non haberent situs in intellectu, tunc necessarium esset, quod res sensatae ad extra non haberent situs, ut sit conformitas inter res sensatas & inter species intelligibiles rerum sensatarum sibi correspondentes & in intellectu existentes: si ergo species intelligibiles rerum sensatarum in intellectu non habent situm: sequitur res sensatae ad extra non haberent situm, aliter non esset conformitas inter species intelligibiles rerum sensatarum in intellectu existentes & inter res sensatas causantes in intellectu species intelligibiles praedictas: sed falsum est quod res sensatae ad extra non habeant situm, ergo argumentum

DE ALMAHAD

supradictum affirmativum non valet, quod si species intelligibiles haberent situm, tunc res separatae a materia haberent situm. Respondet Avicenna, quod licet argumentum affirmativum concludat & valeat, tamen contrarium istius sermonis, id est argumentum factum negativum ex propositionibus negativis, quae sunt contrariae propositionibus affirmativis supradictis non valet, et non verificatur, quia omne sensatum habet duo esse, quorum unum est esse quo habet esse sensatum vel perceptum a sensu, & tale esse sensati secundum quod a sensu percipitur est aliud ab esse intellecto ipsius, id est est aliud ab esse ipsius sensati secundum quod sensatum ab intellectu percipitur, nam esse sensati secundum quod a sensu percipitur est esse quantum, & quale & habens situm, & quid particulare: sensus enim non percipit nisi singulare, quod imprimit verbi gratia in oculo species coloris, & quantitatis, & situs, & ideo esse sensati puta huius colorati secundum quod ab oculo percipitur est habens situm, species colorati praedicti est particularis non universalis, & est habens situm conformem situi rei coloratae ad extra ut supra dictum est: sed esse sensati secundum, est esse intelligibile, vel esse ab intellectu perceptum, & tale esse non habet situm, immo abstrahit a situ & ab omni conditione particulari, sicut enim sensatum secundum quod a sensu percipitur, & secundum quod imprimit species in sensu est habens situm, & est particulare, & species sensibilis eius non est universalis, sed particularis, ita esse sensati secundum quod ab intellectu percipitur est esse aliud, & diversum ab esse sensati secundum quod a sensu percipitur, quia esse sensati secundum quod ab intellectu percipitur abstrahit a situ, & ab omni conditione individuali, & imprimit in intellectu speciem intelligibilem universalem, Dictum est enim supra quod intellectus per se & prius intelligit universalis, & cognitio universalis praecedit particularem, & non cognoscitur particulare ab intellectu nisi per reflexionem: si ergo cognitio rei in universali praecedit particularem, ut patet per philosophum primi phisicorum, sequitur quod esse sensati secundum quod ab intellectu per se, et primo percipitur non habet situm, neque est particulare, immo abstrahit a situ, et ab omni re particulari, aliter intellectus non intelligeret ipsum primo in universali. Ex quibus patet quod esse sensati secundum quod a sensu percipitur est aliud, & diversum ab esse ipsiusmet sensati secundum quod ab intellectu percipitur, quare verum est, quod omne sensatum habet duo esse, unum eorum est esse secundum quod a sensu percipitur, & tale esse est particulare habens situm. Alterum vero esse sensati est esse secundum quod ab intellectu percipitur, & tale esse non habet situm neque habet aliquam conditionem particularem, quare veritas est quod species intelligibiles sensorum sunt conformes esse ipsorum denudato a situ: sicut enim species intelligibiles sensorum sunt denudatae a situ, & non habent situm, quia sunt universalis

Avicenna

abstrahentes a situ, ut supra dictum est, ita esse sensorum secundum quod ab intellectu percipiuntur est non habens situm, & est esse denudatum a situ, & ab omni conditione individuali. Et sic ex praedictis patet responsio supradicta ad objectionem tacitam, non enim sequitur species intelligibiles sensorum in intellectu non habent situs, ergo res sensatae ad extra absolute non habent situs. quia ut dictum est sensatum habet duo esse, quorum unum est esse secundum quod a sensu percipitur & res sensata vel sensatum **secundum** tale esse habet situm. Esse sensati secundum quod ab intellectu percipitur non habet situm: non ergo valet consequentia, species intelligibilis rei sensatae in intellectu non habet situm, ergo res sensata absoluta non habet situm. sed qualiter species intelligibiles sensorum sint conformes esse ipsorum denudato a situ, & qualiter esse sensati secundum quod ab intellectu percipitur non habeat situm declaratur, quoniam sicut in homine hoc sunt duae naturae coniunctae scilicet natura accidentis, & natura quantitatis, & licet secundum rem, & secundum esse in re natura accidentis sit coniuncta, dum vivit hic homo, cum natura substantia, & econtra tamen esse substantia est aliud secundum naturam ab esse accidentis. Similiter sicut natura hominis secundum rem sit coniuncta cum situ, & aliis conditionibus individuantibus distinctis a natura hominis: tamen esse hominis secundum naturam suam est aliud ab esse conditionum individuantium: & sicut etiam substantia secundum suam naturam non habet accidens, sed est denudata quantum ad suam naturam ab accidente, & natura hominis in se est denudata a situ, a conditionibus individuantibus, similiter coloratum licet secundum rem sit coniunctum cum hoc vel illo situ particulari & cum aliis qualitatibus & conditionibus individuantibus coloratum, tamen coloratum vel aliud sensatum secundum naturam distinguitur a situ particulari et a conditionibus individuantibus praedictis: quia color distinguitur secundum naturam a situ, & a conditionibus praedictis, quare sensatum & coloratum habent duo esse unum eorum esse coloris & colorati cum hoc situ vel illo & hac quantitate vel illa. Esse vero coloris & colorati secundum quod distinguitur secundum naturam a situ & a quantitate hac vel illa, est esse denudatum a situ & huic esse colorati secundo denudato & distincto a situ secundum naturam conformatur species intelligibilis colorati. Et sicut patet qualiter species intelligibiles sensorum sunt conformes esse ipsorum denudato a situ, & sicut species intelligibiles sensorum non habet situm: ita esse ipsorum secundum quod intelligitur & cui sunt conformes species intelligibiles sensorum est denudatum a situ & non habet situm. & sicut substantia est realiter & secundum naturam denudata, id est distincta ab accidente licet secum sit accidens coniunctum, & sicut species intelligibilis substantiae est denudata ab accidente, ita et substantia secundum quod intelligitur

DE ALMAHAD

in sui natura, est denudata vel distincta ab accidente, aliter enim species intelligibilis substantiae non conformaretur substantiae intellectae, similiter etiam color vel coloratum est denudatum realiter & secundum naturam ab hoc situ vel illo, & ab hac vel illa particulari quantitate, & species intelligibilis coloris vel colorati sicut est denudata a situ & ab hac vel illa quantitate, ita coloratum, & sensatum secundum quod intelligitur & cui conformatur species intelligibilis, est denudatum a situ & non habet situm. Redeundo autem ad argumentum principale de specie intelligibili dicatur, quod quia demonstratum est species intelligibiles non habere situm & esse species universales abstrahentes ab omni quantitate, & situ & c. Sequitur, quod anima intellectiva sit denudata a situ & a quantitate & a materia, nam si tales species intelligibiles praedictae recipiuntur in anima, & omne quod recipitur secundum modum recipientis, sequitur, quod si species intelligibiles sunt denudatae a situ & quantitate & a materia, quod anima recipiens species praedictas sit etiam non habens situm, neque quantitatem & quod ipsa non sit immersa in materia, neque sit in puncto, neque in aliquo indivisibili ut supra declaratum est.

ET EX eis quae verificant quod anima & c. In hac parte Avicenna demonstrat, quod anima per se existat non in materia, id est non inhaerens materiae. Et arguit sic: operatio intellectiva ipsius animae, aut est proveniens ab essentia sola ipsius animae, quae non indiget in tali operatione re alia ab essentia sua, quae res sit ei organum & instrumentum. Aut operatio eius intellectiva sit cum instrumento vel organo & corpore, in quo ipsa existit, quod si illa operatio praedicta provenit ab essentia sua tantum, tunc ipsa anima habet essentiam, & esse simplex per se, se enim anima non haberet essentiam simplicem per se vel puram per se, tunc ipsa non haberet operationem proveniente ab essentia sua sola: operatio enim est post essentiam, sicut ergo operatio eius provenit ab essentia sua pura solum, sequitur quod essentia animae habet essentiam puram per se non dependentem a materia vel a corpore. Et si essentia, est per se separata, scilicet a corpore, est concedendum et possibile ut sit operatio intellectiva animae per se separata a corpore, licet non sit separata secundum esse: Qualiter autem sit concedendum quod operatio intellectiva animae sit per se separata a corpore, licet non secundum esse, declaratur, quia muta sunt quae sunt separata per se, & secundum naturam suam: et tamen secundum esse non sunt separata, risibilitas enim per se est separata, & distincta. ab homine, tamen secundum esse non est separata ab homine, cum sit accidens in separabile: similiter substantia corporea per se & secundum naturam suam separatur ab accidente, non tamen secundum esse. Eodem modo dicatur quod operatio animae intellectiva provenit per se ab essentia animae

Avicenna

pura tantum, et per se non dependet a materia, vel ab organo corporali, & operatio intellectiva anima propter hoc est per se separata a materia, & ab organo corporali, considerando operationem intellectivam secundum se, & in natura sua, & considerando animam in sua natura, aqua per se provenit talis operatio intellectiva, tamen considerando animam prout est in corpore tanquam forma substantialis, non forma inherens materiae, secundum hoc dicimus, quod pro illo tempore, quo anima unitur corpori est verum, quod anima est per se, id est secundum naturam, & rem separata a corpore, quia anima est res alia a corpore, tamen non est separata secundum esse, ita, verum est dicere quod operatio intellectiva animae pro tunc licet sit per se, & essentialiter separata a materia, & a corpore, nou tamen est separata secundum esse. Et licet operatio intellectiva quantum ad eius acquisitionem, & adventum, & originem suam dependeat aliquantulum ab organo iuxta dictum philosophi primo posteriorum: omnis nostra cognitio ortum habet a sensu, & in libero de anima necesse est intelligentem phantasmata speculari & c. tamen acquisita scientia, ut alicuius conclusionis de aliquo universali, & habituada anima circa talem scientiam; tunc anima exire potest in actum cognitionis illius scientiae per se absque dependentia a corpore, & phantasmatibus, & anima separata a corpore, si erit habituada aliquibus scientiis, tunc intelliget conclusiones illarum scientiarum per se non indigens organo, neque phantasmatibus. Apparet ergo qualiter concedendum sit quod operatio intellectiva animae sit per se separata a corpore, et ab organo licet non secundum esse. Et si concedatur quod operatio intellectiva sit separata etiam secundum esse a corpore, multo magis conveniens est, ut concedatur, quod anima existit secundum esse separata a materia, & a corpore, quia non est possibile, quod essentia animae, licet sit per se separata a corpore, sit tamen secundum esse separata, & quod operatio animae sit per se, & secundum esse separata a materia, & a corpore, quia operatio, ut dictum est, praesupponit essentiam, & est post essentiam.

QUOD SI QUIS contradicens arguat. In hac parte Avicenna arguit contra argumentum superius adductum, postea soluit ipsum. Et contradictio est ista. Dictum est enim supra, quod ex hoc quod operatio intellectiva animae provenit tantum ab essentia animae absque organo & c. Demonstratur animam **habere** esse existere simplex per se, non inherens materiae, neque indigens corpore & c. Dicit ergo Avicenna, quod contra dicens posset arguere, quod demonstratio praedicta non valet, quoniam operatio naturae in re gravi, quae est movere, vel motio; provenit tantum ab essentia naturae, & non a materia, quia materiae inest solum moveri, & ei non convenit nisi pati, & moveri, sed principium motus effectivum, & motio, vel movere inest, & attribuitur tantum ipsi naturae, quare movere, seu motio est operatio separata, scilicet a materia nou procedens a

DE ALMAHAD

materia, sed proveniens solum ab ipsa natura, et tamen omnes concedunt, quod natura est forma materialis dependens a materia: sicut ergo non sequitur operatio naturae, quae est motio, vel movere, provenit tantum a natura, & non a materia, ergo natura non est forma materialis. Eodem modo non sequitur operatio intellectiva animae per se provenit ab essentia animae tantum non a corpore, vel ab organo, ergo anima non est forma materialis, neque inherens materiae, immo est forma, & essentia per se existens non indigens materia, & corpore: argumentum non valet, & sic demonstratio praedicta Avicenna, non valet. Respondetur quod operatio naturae est motio, vel principium motus, & talis quidem operatio est inseparabilis, nam infra dicitur, quod ubi ponitur natura, ibi ponitur eius operatio, nisi sit prohibens, ubicunque enim ignis reperitur, ibi etiam reperitur operatio ignis, quae est calefacere. & ubi ponitur natura gravis, ibi ponitur operatio gravis quae est deorsum descendere QUONIAM ESSENTIA motus & c. hic declarat, quare operatio naturae, quae est motio, vel principium motus, est inseparabilis a natura, quoniam essentiae motus id est quoniam ipsae motus essentialiter est in materia, & motio est motus per se, quamvis diversificentur respectivae, motio enim est idem quod motus, sed tamen motio differt a motu per respectum, nam motio dicit respectum, prout causatur a natura, & a principio movente, & motus dicit respectum prout recipitur in re mota. Et essentia motionis, vel motio ipsa essentialiter quae est esse relativum, non habet esse per se subsistere per se, & non habet esse in movente, sed in re mota, quare cum natura sit forma materialis, & sit in materia, & ab ea proveniat motus, qui recipitur in materia, & materia semper sit de se apta recipere, cum ipsa essentialiter sit principium passivum, & natura sit principium activum, quod quidem principium activum nunquam ab ipsa natura separatur, sequitur, quod operatio naturae, quae est motio, vel esse principium motus nunquam ab ea separatur. Et iam dictum est, in libro philosophia Avicenna nominato alsemha, quod ipsa natura est operatio. id est est virtus, ad quam sequitur operatio, deinde quod ipsa scilicet virtus, vel natura sit impressa, vel immersa in materia, & quod materia patitur ab ea scilicet natura, vel virtute propter praesentiam ipsius scilicet naturae in ea scilicet materia, quoniam esse ipsius scilicet naturae est facere, vel agere, vel quod ab ea proveniat actio.

ET SUBSTANTIA eius illa, id est, & hoc scilicet naturam facere, vel quod a natura proveniat actio per comparisonem operationis ad ipsam, id est considerando, quod movere est opus ipsius naturae. Est ei res substantialis, id est attribuitur ei naturae tanquam res substantialis, & tanquam quoddam accidens ei substantiale id est inseparabile ita, ut quando existit, & reperitur substantia ipsius naturae, invenitur etiam operatio naturae, quare

Avicenna

ut dictum est, operatio naturae est inseparabilis a natura, ita, ut sustantia naturae non praecedat per tempus operationem ipsius naturae. Calefacere enim est operatio ignis inseparabilis ab eo, & quam primum existit ignis, tam cito existit eius operatio, dummodo passum sit dispositum, & non sit ibi prohibens: & sicut diximus de igne, ita, dicatur de aliis naturalibus, in quibus operatio ipsorum est eis essentialis, & ab eis inseparabilis, & est etiam operatio ipsorum inseparabilis a materia eorum, ita operatio ipsorum non potest fieri nisi mediante materia.

NOS VERO hic non loquimur de his quae currunt hoc cursu. id est de his, quae supra dicta sunt quae sic se habent, quod operatio ipsorum est ab eis inseparabilis, ita, ut quando reperitur essentia ipsorum, tunc etiam reperitur ipsorum operatio, immo loquimur dixit Avicenna, in hoc capitulo de his, quorum operatio non est sua essentia, sed eorum operatio est res consequens eorum essentiam, non de necessitate quoniam loquimur hic de anima rationali, cuius operatio maxime intellectiva non est essentia animae rationalis, neque est inseparabilis ab essentia eius, sed operatio animae intellectivae est consequens essentiam animae non de necessitate: anima enim intellectiva quando quod intelligit, & quandoque non intelligit, & essentia animae intellectivae praecedit operationem ipsius scilicet praecedit intellectionem. Illa vero quae supra dicta sunt. scilicet naturalia corpora inanimata sic se habent quod ubi reperitur eorum essentia, illic etiam reperitur eorum operatio, neque oportet, quod istorum essentia praecedat operationem eorum, ita, quod corporum praedictorum essentia prius subsistat, deinde adveniat ei operatio, ita, quod operatio ipsorum proveniat ab ipsa sola essentia corporum praedictorum naturalium non indigens organo, neque materia propter hoc, quod essentia id est propter hanc causam, quod essentia sua subsistat pura ante operationem supple, sicut dictum est de anima intellectiva, quoniam essentia corporum naturalium praedictorum non subsistit pura ante operationem, vel non praecedit operationem, sicut essentia animae intellectivae praecedit operationem eius, ita, quod anima intellectiva prius per se subsistit, postea ei advenit operatio intellectiva, quare manifestum est ex praedictis, quod est diversitas magna inter essentiam naturae, & corporum naturalium, & inter animam intellectivam, seu eius essentiam. Cum ergo differant, & Avicenna non loquatur hic nisi de anima intellectiva, quae ut dictum est, differt a natura, & a formis materialibus, quare hic non loquimur in hoc libro nisi de anima intellectiva, & de his rebus, quorum essentia praecedit eius operationem, & eorum essentia quandoque reperitur, & non reperitur tunc eius operatio, deinde ab huiusmodi essentia provenit operatio per se absque instrumento, & materia.

QUARE manifestum est, quod in istis quorum essentia praecedit operationem, non est possibile aliquo modo, quod essentia sua sit non separata a materia,

DE ALMAHAD

vel a corpore, & operatio sua, etiam sit non separata ab organo, & a materia, immo, ut supra dictum est, in principio huius demonstrationis, vel argumentationis, operatio virtutis intellectivae non indiget organo, neque materia, & per consequens essentia animae intellectivae pro suo esse non indiget organo, neque materia.

NEQUE operatio eius illa est substantialis & c. id est operatio animae intellectivae, quae est intelligere se, & aliud a se, non est substantialis, id est non est intrinseca animae intellectivae, neque est inseparabilis ab anima intellectiva, sicut operatio naturae inseparabilis ab ipsa natura, ita, quod ubi ponitur natura, ibi ponitur eius operatio, nisi sit prohibens, ut dictum est, quia natura est forma materialis non separata, secundum suam essentiam & secundum suam operationem a materia, & a corpore. Essentia autem animae est separata ab organo, & a materia, quare operatio animae intellectivae, non est substantialis animae intellectivae id est non est inseparabilis ab anima intellectiva.

ET QUIA sensus, id est virtutes sensitivae non sunt separatae a materia, quia operatio ipsarum non potest fieri sine organo, ideo sensus non possunt sentire organo propria, neque sentire essentiam suam, neque sentire se sentire, sicut anima intellectiva, quae intelligit se intelligere, & intelligit essentiam suam, & virtutem suam, quia inter animae essentiam, & inter intellectionem sui ipsius non requiritur organum, neque materia.

ET ITERUM si anima rationalis haec est alia ratio quae patet EXISTERET in materia supple, sicut forma materialis **aeducta** de potentia materia inherens ipsi materiae, magnam faceret impressionem in materia, id est in materia corporali, vel in corpore.

CUM DEBILITATE materiae scilicet materiae corporalis, id est cum debilitate corporis NON EXISTENS in corpore, id est non inherens corpori, & materiae, sicut formae materialis, quae in esse dependet a corpore, & a materia.

SED IN multis senibus immo in plurimis ipsorum notanter dixit in multis, & non dixit in omnibus, quia aliqui sunt senes non sani habentes cerebrum praeter naturaliter dispositum, in quibus sicut in freneticis⁸, stolidis deficit virtus intellectiva, & sermo Avicennae hic non verificatur nisi in senibus non culpate sanis, & in senibus habentibus complexionem temperamento propinquam, qui in aetate senectutis sunt sani secundum cerebrum.

ET ITERUM intelligibilia omnia & c. In hac parte Avicenna adducit aliud argumentum ad probandum **amimam** non indigere corpore, et animam humanam non esse materialem. Nam intelligibilia omnia secundum quod sunt intelligibilia sunt unificata id est abstracta ab omnino multitudine, & individuatione, & causant speciem intelligibilem abstractam a

⁸ احتمالا phreneticis

Avicenna

divisione, & a multitudine, talis ergo species intelligibilis est quid unum indivisibile, species enim intelligibilis universalium puta specierum, & generum sicut hominis, equi, & animalis, abstracta est ab omnibus individuis, & ab omnium multitudine, & divisione, quia talis species intelligibilis est indivisibilis: impossibile est ergo, quod talis forma, & talis species unificata, id est per abstractionem ab individuis in unum reducta sit existens in corpore, quoniam omne corpus est divisibile, si ergo talis forma, & talis species una, & indivisibilis existeret in corpore, tunc ipsa divideretur ad divisionem corporis, sicut albedo existens in quanto dividitur ad divisionem quanti, consequens autem est falsum scilicet quod species intelligibilis praedicta sit divisibilis, quare & c. Et licet essentia quorundam intelligibilium multiplicetur sicut essentia corporis, & rei quantae continuae, & discretae quibus secundum essentiam suam convenit divisio, et multiplicatio in partes, tamen multa ex ipsis intelligibilibus, sicut unitas & punctus sunt intentiones, quae in sui diffinitione, & in sui essentia abstrahunt, & sunt expoliatae a divisione, & multitudine. Nam unitas diffinitur, quod non sit numerus, sed principium numeri. Et quod punctus sit illud cuius pars non est, & c. ista ergo non tolerant divisionem, & impossibile est, quod huiusmodi intelligibilia fundentur in re divisibili habente partes, & quod in partibus eius sint partes intentionis intelligibilium, sicut enim albedo, aut aliud accidens fundatum in corpore divisibili habente partes dividitur ad divisionem illarum partium corporis, ita, intelligibilia secundum quod sunt intelligibilia, secundum quod sunt unificata, & species intelligibiles: licet sint quid unum, & indivisibile si fundarentur in re divisibili, & in corpore, tunc talia intelligibilia, & tales species dividerentur ad divisionem corporis, & sic essent quid indivisibile, & quid divisibile, quod est impossibile. Bene igitur dixit Avicenna. Quomodo enim est possibile quod huiusmodi intelligibilia fundentur & c. quasi dicat hoc est impossibile.

Capitulum sextum de necessitate ponendi Mahad.

DICO quod anima humana quum sit forma immaterialis, est permanens, perpetua, non recipiens corruptionem: quoniam res existens non evacuatur quin aut sit necesse esse postquam ipsa est, aut sit contingens esse suum. quod si sit contingens esse: tunc eius essentia tolerat quod sit, & quod non fit, & non est ei magis conveniens, quod sit quam quod non sit. quandoque enim contingit quod sit, & quandoque contingit, quod non sit. & ambo ista sunt [declarationes, vel descriptiones:] quibus contingens notificatur, vel describitur. Et impossibile est, quod alicui in omnibus dispositionibus, vel in omni tempore attribuantur ambo praedicta

Margin1: Alia litera. duo, quae contingenti attribuuntur.

DE ALMAHAD

simul. Immo inest ei res, & dispositio, per quam existit in esse proculdubio, & inest ei res, et dispositio, per quam non existit in esse sine dubio. Et est res, quae tolerat duas res. Et sine dubio quidem res, quae tolerat duas res, est permanens in duabus dispositionibus: quoniam impossibile est, quod res sit tolerans aliquid, vel sit subiectum alicuius, et ipsa res non sit, vel non existat. Res autem permanens sub duabus rebus, vel tolerans duas res, est materia. Et res per quam existit in actu, est forma. Tertium vero [nullo modo existit.] Quodlibet igitur quod non habet materiam, est non recipiens privationem, vel non esse omnino: neque est recipiens generationem. Immo quodlibet recipiens ista duo, aut est ex materia: aut est in materia. Anima ergo humana, & intellectus, non recipit corruptionem: quare ipsa permanet post corpus. Et ex his quae sunt necessaria, est quod omne permanens substantiale appraehensivum, vel cognoscitivum, aut est quiescens, aut delectatur, aut dolet. Anima igitur in vita secunda, aut est quiescens, aut delectatur, aut dolet. Et omne quidem quiescens, aut est gaudens cum sua essentia, vel ex parte suae essentiae: aut est tristis ex parte suae essentiae si est appraehendens, vel quando est appraehendens, seu cognoscens suam essentiam. Et propter illud anima in dispositione quietis, aut est gaudens aut est tristis. Impossibile est autem, quod ipsa sit tristis: quoniam tristitia contrariatur quieti. ipsa ergo tunc est gaudens. gaudium vero est bonum quoddam, & delectatio: quare anima in dispositione quietis delectatur. non est igitur ponenda divisio tertia, vel membrum divisionis tertium. Immo sunt duo membra divisionis, vel duae divisiones. scilicet dolor, & delectatio: & dolor quidem perpetuus, est infoelicitas, & cruciatus. Et delectatio perpetua substantialis non permixta cum aliqua tristitia, est beatitudo, vel foelicitas. Anima ergo post mortem aut cruciatur, vel infoelicitatur: aut beatificatur, & hoc quidem est Mahad.

Declaratioes super capitulo sexto.

DICO quod anima & c. In hoc capitulo probat Mahad esse de necessitate ex hoc, quod anima post separationem a corpore est permanens non recipiens corruptionem. Quod autem anima post mortem hominis sit permanens & c. declaratur, & probatur ab Avicenna sic, quoniam res existens seu omne quod

Margin1: Alia litera est privatio.

Avicenna

est, non evacuatur, quin aut sit necesse esse, aut postquam est, aut sit contingens esse suum. id est omne quod est in actu, aut est ens necessarium, aut ens contingens: quod si sit ens contingens, tunc eius essentia tollerat, quod sit, & quod non sit, & non est maior ratio quod sit, quam quod non sit. Quandoque enim accidit quod sit, & quandoque accidit, quod non sit. ET AMBO ista scilicet contradicentia ad invicem scilicet quod sit, & quod non sit, vel quod quandoque sit, et quandoque non sit, notificant contingens, & attribuuntur contingenti, & describitur contingens per hoc quod est est illud quod potest esse, & potest non esse, vel est illud quod quandoque est et quandoque non est. Et impossibile est, quod ambo ista, simul scilicet esse, & non esse secundum unam, & eandem dispositionem, & in omni tempore attribuantur alicui.

IMMO inest ei & c. id est immo inest ipsi contingenti, vel essentiae contingentis dispositio, & res, per quam contingens est in actu, & inest ei dispositio, & res quandoque propter quam contingens non existit in esse absque dubio.

ET EST res quae tollerat & c. id est & reperitur res, quae tollerat duas res id est, quae subiicitur duabus rebus praedictis scilicet esse & non esse, vel duabus rebus, quarum una contingenter habet esse existere, & altera habet non esse: huiusmodi autem res quae tollerat duas res contrarias sine dubio est permanens in duabus dispositionibus, id est sub duabus dispositionibus contrariis, quoniam impossibile est, quod res sit tollerans aliquid, vel sit subiectum alicuius, & talis res quae est subiectum non sit in re. Res autem tollerans duas res contrarias, & permanens sub duabus rebus contrariis in diversis temporibus est materia. Et res, per quam materia, vel aliquid est in actu, est forma.

TERTIUM vero nullo modo existit, pro istius declaratione sciendum, quod supra dictum est, quod omne quod est, aut est necessarium, aut contingens, & dictum est, quod contingens quandoque est, et quandoque non. Et quod alicui competat simul, & in quolibet tempore esse, & non esse, est impossibile. Et hoc quidem est tertium membrum de praedictis, & istud tertium membrum praedictum nullo modo in re esse potest. Secundum vero aliam litteram videlicet tertium vero est privatio, debet exponi duobus modis: uno modo quod materia recipit esse in actu per formam, & quod materia etiam recipiat non esse propter privationem. Privatio ergo supra materiam, & formam est tertium. alio modo exponitur, quod tria sunt principia rerum naturalium, quorum unum est materia, secundum est forma, et tertium est privatio. Quodlibet igitur, quod non habet materiam, nullo modo est recipiens non esse, vel corruptionem, neque est recipiens generationem supple quae fit per viam alterationis, immo quodlibet recipiens ista duo scilicet generationem, & corruptionem, seu non esse per viam alterationis, aut est materia, aut est in materia, quia quod generatur, & corrumpitur per viam alterationis, aut

DE ALMAHAD

est forma existens in materia, aut est ipsa materia. Anima autem quia non est materia, neque existens in materia, ut in praecedenti cap. probatum est, ideo non recipit generationem per viam alterationis, neque corruptionem seu non esse, Notanter dicitur quod anima non recipit generationem, vel esse per viam alterationis, quia anima licet, incipiat esse per creationem, tamen anima non recipit esse. neque incipit esse per alterationem. Anima ergo humana, & intellectus, cum non habeat materiam, neque sit in materia, ut probatum est. Ideo ipsa non recipit corruptionem, & non esse: quare anima humana permanet, & est incorruptibilis post mortem, & post separationem eius a corpore.

ET EX his quae sunt necessaria & c. In hac parte postquam probavit animam permanere post mortem, consequenter probat necessitatem ponendi Mahad. Nam omne permanens substantiale appraehensivum, vel cognoscitivum, aut est quiescens, aut delectatur, aut dolet, sed anima est ens permanens substantiale cognoscitivum, ergo anima, aut quiescit, aut delectatur, aut dolet. Nota quod fides Maumethana, & fides catholica, concedunt, & tenent consequentiam, & conclusionem praedictam. Tenent enim istae quod anima post mortem, aut cruciatur in inferno, aut beatificatur in paradiso, aut in limbo quiescunt non habentes beatitudinem, neque cruciatum, Dicunt enim Christiani, quod animae puerorum non baptizatorum. qui non operati sunt bonum, neque malum in limbo, non patiuntur poenam, quia non merentur eam, ex quo non operati sunt malum: neque etiam beatitudinem, aut delectationem, quia ex quo bonum non sunt operati, non merentur praemium, neque beatitudinem. Post mortem ergo tales animae puerorum erunt quiescentes, non participes alicuius premii, aut poenae: & hoc etiam affirmant Maumethani, quod animae eorum: qui non sunt perpetrati malum, neque bonum erunt in loco quiescentes, non sentientes poenam, neque praemium seu beatitudinem. Avicenna igitur volens probare Mahad esse, praesupponit hoc, quod conceditur a multis scilicet quod anima in vita secunda scilicet post mortem, aut est quiescens supple privata beatitudine, & poena, aut talis anima delectatur, aut dolet. Secundum ergo Christianos, & Maumethanos ponuntur tria membra divisionis, & quod anima post mortem est in uno trium membrorum praedictorum scilicet aut quod erit quiescens supple privata premio, & poena, aut erit in delectatione, & beatitudine, aut erit in poena. hoc praemisso Avicenna, sic arguit probando, quod non debet poni tertium membrum divisionis sed solum duo membra, ita, quod anima post mortem, aut erit in beatitudine, & delectatione, aut erit in poena, & cruciatu: & non est ponendum tertium membrum divisionis scilicet quod anima in alia vita sit quiescens absque beatitudine & poena, sicut dicitur de pueris in limbo. Et arguit sit. Nam omne permanens substantiale cognoscitivum, aut cognoscit essentiam suam virtuosam & perfectam, & tunc ex tali cognitione delectatur,

Avicenna

& gaudet, & beatificatur, aut cognoscit essentiam suam imperfectam & viciosam, & tunc ex tali cognitione tristatur, & dolet. Anima ergo in dispositione quietis: vel anima, quam tu ponis, & dicis esse quiescentem in limbo absque beatitudine et poena, aut est gaudens, aut tristis ex parte suae essentiae quando cognoscit, vel appraehendit suam essentiam, sed impossibile est, quod anima cognoscens suam essentiam sit quiescens, & tristis, quoniam tristitia contrariatur quieti, si ergo talis anima quiescens ex hoc quod cognoscit essentiam suam imperfectam, & viciosam tristatur, sequitur, quod ipsa non sit quiescens. Et si anima praedicta quiescens cognoscit essentiam suam completam, & perfectam esse, tunc delectatur, & gaudet. Anima ergo quiescens oportet quod sit gaudens & beata. Omnis ergo anima post mortem, aut est tristis, aut gaudens, non ergo est ponendum tertium membrum divisionis scilicet quod omnis anima post mortem, aut est gaudens, aut tristis, aut quiescens, quia non est dicendum, quod aliqua sit anima post mortem quiescens, quae neque sit gaudens, neque tristis. In vita ergo secunda non est nisi aut beatitudo seu delectatio, aut poena seu tristitia. Anima ergo post mortem, aut cruciatur, vel tristatur. Aut beatificatur, vel gaudet: & hoc quidem est Mahad, quod volvimus probare.

Capitulum septimum de cognitione dispositionum graduum, vel ordinum in hominibus post mortem, & de verificatione mundi alterius, seu vitae alterius.

Oportet ut scias, quod non quaelibet delectatio est sensualis. Immo ex delectationibus, est aliqua quae non est sensualis: & ei in dignitate, & perfectione non est [propinqua] delectatio sensualis. Et similiter est dicendum de doloribus. Delectatio autem fit apud appraehensionem convenientis: & conveniens quidem est intrans in perfectione substantiae alicuius rei, & in complemento operationis eius. Conveniens igitur sensibile est illud quod perficit substantiam sensitivam, & conveniens cuiuslibet istorum scilicet virtutis irascibilis, & desiderativae, & imaginativae, & cogitativae, & existimativae: est secundum illam rationem. Et si sermo in distinctione istorum, non esset valde prolixus: de ipso tractarem. Sed dicam sermone compendioso: quod omnis virtus appraehensiva posita est propter intentionem, vel propter finem actionis, aut non actionis. Et res quidem adveniens ei perducens ipsam ad illam intentionem, vel ad illum finem, est conveniens, & delectabilis. Gustui igitur. Seu virtuti gustativae conveniens est dulce: quoniam plus

Margin1: Alia litera. comparanda.

DE ALMAHAD

omnibus aliis nutrit, & virtus gustativa est propter nutritionem. Et virtuti auditivae conveniens est, vox lenis temperata inter gravem, & acutam: ut non separet multum, & non aggreget multum. Tactivae vero virtuti conveniens est res lenis temperata ad tactum propter istam eandem causam. Et causa in hoc est, quod operatio propria alicui est finis substantiae ipsius. Et istarum quidem rerum praedictarum actiones sunt in subiectis extrinsecis ab eis: quae dum non [pervenerint ad ea,] non agunt: cum vero ipsa pervenerint ad ea, vel coniuncta fuerint cum eis, & non fuerint laedentia, tunc sunt delectabilia convenientia. Delectatio autem vera sensualis est sensatio reditus, vel reditionis, seu reversionis ad dispositionem naturalem, quum sentitur horridum laedens iam removeri. Delectatio igitur rei comestae, & bibitae, fit propter remotionem famis, & sitis. Et delectatio, quae fit in coitu, est similis delectationi titillationis, & est quod fluxus aqua(e), vel spermatis super membrum glandosum mollis carnis, excoriat, vel mordicat ex virtute ipsius fluxus: quare fit sicut adustio, & laesio: quae postea velociter abscinditur, vel removetur: & pars excoriata, vel laesa laenificatur, & redit ad dispositionem suam propter humiditatem aquae, vel spermatis fluentis ad ipsam absque tempore, seu absque intermissione temporis: quare sentitur delectatio propter virtutem sensitivam membri. Et haec quidem delectatio est eadem, vel similis delectationi, quae fit ex fluxu olei, aut humiditatis viscosae unctuosae super faciem vulneris, in quo proxima est consolidatio, & cutis origo, & non operatur adhuc. Amplius in coitu phantasia, & imaginatio affectans aliquid, quae est concupiscentia animalis, adiungitur huic intentioni, quare illa [auget vehementer delectationem.] Et propter hoc cupiens delectationem coitus eligit coitum in hora cum ipsa muliere, quam plus amat, & concupivit. Et si solus dimittatur cum muliere, quam non amat, neque affectavit: tunc abhorret ipsam, & renuit coitum cum ea, & tamen ipsa delectatio coitus secundum se, & naturaliter est aequalis in ambabus. & fortasse mulier, quam non amat, vel quam repudiat, est vehementius disposita secundum naturam, & secundum complexionem suam ad causandum delectationem, & ad augendum ipsam delectationem: quam mulier dilecta, quam

Margin1: Alia litera. continuata fuerint cum eis.

Margin2: Alia litera. addit vehementer in delectationibus.

Avicenna

homo concupivit. Et si non esset ista concupiscentia [procedens] a phantasia, & ab imaginativa coadiuvata in animali existens innata, & connaturalis pro conservatione specierum. Tunc non esset illa delectatio sola, ex eis quae sufficerent stimulare ad amorem, & coniunctionem coitus: aut non esset intentio animalis quae nunc est. Delectatio autem irae, seu virtutis irascibilis est adventus victoriae: quoniam ipsa scilicet ira vel virtus irascibilis, est naturalis, vel insita in animali, propter hanc intentionem. Amplius componuntur ex istis simplicibus delectationes: & quandoque ex delectationibus sunt aliquae in quibus delectatio est cum communitate, sicut cogitatio de victoria, aut de delectatione: quoniam in illa communicant virtus extimativa, & imaginativa: & virtus irascibilis, & appetitiva. Quare manifestum est ex istis omnibus, quod delectationes fiunt ex appraehensione convenientium, & convenientia quidem sunt perficientia substantiam, & operationem eius. Quare proportio delectationum adinvicem scilicet unius ad alteram, est sicut proportio virtutum appraehensivarum inter se, & rerum convenientium, & perfectionum, & appraehensionum inter se. Amplius ex notis manifestis est, quod anima rationalis est appraehensiva. deinde substantia sua est nobilior, quam essentia, vel substantia virtutum aliarum: quoniam ipsa est simplex absolute, & a materia separatata omni separatione. Illa vero (a) est dependens a materia, recipiens compositionem, & divisionem causa materiae. Amplius appraehensio, & cognitio ipsius scilicet animae intellectivae, nobilior est quam appraehensio virtutum sensitivarum: quoniam cognitio: & appraehensio virtutis rationalis, est cognitio certa, universalis, necessaria, aeterna, perpetua, laetificans, vel delectans. Appraehensio vero sensitiva est circa exteriora apparentia, particularia, permutabilia, non permanentia. Amplius appraehensibilia (b) ipsius, seu illa, quae appraehenduntur (c) ab ipsa, sunt convenientia nobiliora. quoniam quae appraehenduntur ab ipsa sunt intentiones certae, & firmae, & formae spirituales, (d) & principium entium omnium primum cum sua dignitate, & excellentia, & angeli creatoris nostri, & quidditates, corporum coelestium, & aelementorum, & essentiae ipsorum. Amplius perfectiones ipsius animae rationalis nobiliores sunt quam perfectiones virtutum sensitivarum.

Margin1: Alia litera. **o** adiuvata.

Margin2: a. virtus sensitiva.

Margin3: b. ipsius scilicet intellectivae.

Margin4: c. ab ipsa scilicet intellectiva.

Margin5: d. Et principium entium omnium, & angeli, & corpora coelestia et elementa sunt **d** numero eorum quae appraehenduntur absque anima rationali.

DE ALMAHAD

Nam perfectiones animarum rationalium, est quod ipsae fiant essentiae expoliatae ab omni alteratione, & multiplicatione, vel diversificatione: in quibus sunt species omnium entium: & sint denudatae a materia. Quare ipsae sunt essentiae similes essentiae intelligentiarum: vel similes intelligentiis, & eis conformes, vel proportionatae. Verum essentia, vel radix ipsarum est spirituosa creatoris nostri. Et radix rei, vel radix substantiae corporeae est sensata permixta cum malitia, & cum eo quod est in potentia, & cum privatione, & est spissa, turbida, aquosa. [Et comparatio istarum quatuor intentionum, quae attribuuntur animae humanae est comparatio ad similes intentiones, quae attribuuntur animae sensitivae. Manifestum est igitur quod delectatio, quae attribuitur substantiae humanae id est animae ipsius] in tempore Mahad quando anima fuerit perfecta, est delectatio, cui nunquam erit comparanda aliqua ex delectationibus existentibus in hoc mundo. Est ne verisimile, quod Deus gloriosus foelicitatem, & delectationem, quae substantiae angelorum appropriantur: similem tribuat, & comparabilem foelicitati, & delectationi, quae appropriatur substantiae iumentorum, & animalium rapacium vel aliter existentibus in hoc mundo. Mirandum esset, O gloriose Deus, quod bonum, & delectatio: quae substantiae angelorum appropriantur, comparanda sint, & similia bono, & delectationi: quae appropriantur substantiae iumentorum, & leonis. Et anima quidem humana est absque dubio substantia angelica [quando fuerit perfecta: quoniam ipsa est forma intellectiva rationalis separata, & hoc idem est forma angelica.] Verum nos dum sumus in corporibus nostris, non sentimus hanc delectationem: quam praediximus. quoniam virtutes corporales dominantur super animam rationalem, ita, ut anima in corpore obliviscatur suarum delectationum, & nesciat delectationes sibi appropriatas: taliter quod virtus, & potestas, seu dominium inest sensibus, & phantasiae, & irascibili, & appetitivae virtuti. Et signum huius est. quod quando augetur potestas, vel dominium istarum virtutum sensitivarum, tunc diminuitur potestas, & dominium animae rationalis. Necessarium est igitur, quod sit illa delectatio animae praedicta: quam dum nos sumus in corpore, non sentimus. Et causa, quare non sentimus eam, est corpus. Et declaratio

Margin1: Alia litera. comparando autem istas quatuor intentiones quae attribuunt animae intellectivae ad intentiones quae attribuuntur animae sensitivae manifestum est quod delectatio quae attribuitur animae humanae.

Margin2: Alia litera. vacat.

Avicenna

huius est per exempla, quae sunt in virtutibus sensitivis: quoniam in patientibus sebrem colericam dulce sentitur amarum, & abhorretur. Et iterum, non est negandum, quod sit aliqua delectatio, cuius existentia, & cuius esse creditur: & tamen non percipitur qualitas eius: neque cognoscitur in dispositione aliqua. Nam patientes alhauim id est patientes malam dispositionem membrorum genitalium, per quam non possunt coire: credunt, & affirmant delectationem coitus esse in re, & ipsam non cognoscunt. Et surdus a nativitate credit esse delectationem auditus: & coecus a nativitate credit esse in re delectationem formarum, & specierum pulchrarum: & tamen nulla ambarum percipitur. Et iterum secundum quantitatem dominii, & victoriae virtutis humanae, seu rationalis super virtutem animale, sentitur, & cognoscitur illa delectatio. In eo enim in quo potestas vel dominium animae rationalis in hoc mundo est potens super dominium virtutis animalis, affirmatur, & creditur quod sit sensatio, vel cognitio aliqua illius delectationis secundum diversitatem maioris, vel minoris, dominii animae rationalis super virtutem animale. Et illi quibus a creatione sua, concessum, vel tributum est illud, & virtus ipsorum rationalis elevata, & potentior est super virtutem animale, & virtus eorum intrinseca, & occulta, elevata, & magis dominans super virtutes exteriores apparentes, ita, ut virtutes animales, & extrinsecae, non dominantur super virtutem rationalem, vel super ipsam animam rationalem: possibile est ut ipsi in hoc mundo habeant ex illa delectatione partem habentem mensuram. Sed delectatio praedicta absolute, & absque mensura haberi non potest, nisi in fine. Foelicitas igitur alterius mundi est apud separationem, seu liberationem animae a corpore, & ab impressionibus naturalibus, & denudationem & essentiae completam. secundum quam dispositionem anima rationalis intuetur intuitione intellectiva essentiam eius, qui summam habet potestatem, vel summum dominium: & intuetur substantias spirituales, quae adorant ipsum Deum, & intuentur, & considerant essentias sublimes, & adventum suarum perfectionum super seipsas, & delectationes excellentes in illa hora. Cruciatu vero, seu poena alterius vitae est, quando cum erit contrarium illius, quod dictum est. Et sicut illa foelicitas

DE ALMAHAD

est magna valde: similiter poena, quae est illi opposita, est dolorosa valde. Et quoniam anima rationalis in corpore non est sicut forma in materia: quare substantia corporis non est medians, seu impediens inter ipsam animam, & inter illam foelicitatem. Immo medians, & prohibens animam ab illa foelicitate sunt impressiones, & qualitates, seu habitus a corpore in animam confirmati. Quando igitur qualitates corporeae in anima fuerint confirmatae sicut appetitus, & ira, & amor excessivus in rebus mundanis, in quibus non est habendus amor excessivus: & fuerit anima a corpore separata: in qua qualitates praedictae fixae, & habituatae fuerint: tunc prohibetur anima a perfectione vera, & a foelicitate ultima, quae accidit post mortem. Et tunc anima est disposita, ac si adhuc esset in corpore. Et secundum hoc ex ponitur, ut dictum est metaphora ponentium Altenasach, vel eorum, qui loquuntur metaphorice de Altenasach, neque est via removendi qualitates illas, vel praeservandi ab illis qualitatibus praedictis, nisi per virtutes, seu neque potest removeri anima, & praeservari ab illis qualitatibus praedictis nisi mediantibus virtutibus: quoniam a temperato, & a virtuoso remota sunt omnia extrema: et remanet substantia eius vacua, & privata duabus naturis simul. Temperatum enim in calore, & frigore, non est nisi illud, quod non est calidum, neque frigidum omnino. & est unum in intentione. & propter hoc leges praecipiant, & commendant virtutes. Et ex eis, quae removent animam a velamine, seu ab impedimento elongante, sunt orationes, vel adorationes divinae: & administratio eorum ad quae leges propheticae exhortantur: quoniam ipsa sunt tanquam clypeus, & tutamen animae ab hoc nocumento. Et animae quidem separatae a corpore habent ordines. Quaedam enim sunt animae perfectae habitibus speculativis, & virtuosae in operationibus moralibus, innocentes: & huiusmodi quidem animae habent foelicitatem absolute. Quaedam vero animae sunt perfectae habitibus speculativis: sed non sunt innocentes, vel innoxiae: virtuosae in operationibus moralibus. Et huiusmodi animae sunt in **berzach** id est in purgatorio quod est medium inter ipsam foelicitatem, & inter denudationem ipsarum, & completam expoliationem, & liberationem ipsarum a qualitatibus corporeis, et habitibus malis impressis

Avicenna

a corpore prohibentibus ne adveniat huiusmodi animabus foelicitas absolute. Et quoniam operationes ipsarum quibus impediabantur, sunt abscissae ab eis propter separationem earum a corpore. Ideo tunc tales animae incipiunt cognoscere foelicitatem, & se ab ea foelicitate prohiberi propter qualitates vitiosas: seu propter habitus vitiosos, & haec quidem cognitio laedit eas laesione, seu dolore maximo, seu cruciat eas cruciatu maximo. Verum isti habitus, vel qualitates corporeae praedictae non sunt ipsis animabus substantiales, vel essentielles: quare non cruciant eas toto tempore. Immo removentur animae ab eis, & liberantur, & perveniunt animae praedictae in fine rei ad veram foelicitatem, & quoniam istae qualitates corporeae sunt fixae, & habituatae in anima ex motibus ipsius ad species boni, & mali, & substantia huiusmodi animae ex his habitibus desiderat delectationes animales, seu sensitivas, quibus iam est privata. Ideo hoc etiam est ex poenis, & cruciatibus animae in vita alia. Quaedam autem sunt animae diminutae, in habitibus speculativis, sed virtuosae in actibus moralibus, & sunt innoxiae, vel innocentes in moralibus. Quibus animabus dum erant ipsae in hac vita, praedictum, & affirmatum est eis convenire foelicitatem veram, quam ipsae non exquisiverunt, neque desideraverunt. Immo negaverunt, & spreverunt eam, & crediderunt illud, quod non est verum, & ipsae ex sua diminutione, vel imperfectione, cruciantur poena aeterna. Quaedam etiam animae sunt diminutae in habitibus speculativis, & sunt innocentes: quae quidem animae cognitionem non habuerunt, neque audierunt quod eis conveniat aliqua perfectio omnino, & ipsarum dispositio est alia ab ea: quae habetur ex credulitate, vel veritate publicata, vel praedicata a prophetis: quia non exquirunt illam foelicitatem, quam credunt, immo negant. Quaedam vero sunt animae diminutae in habitibus speculativis, sed innocentes, vel innoxiae: ad quas non pervenit cognitio illorum, neque habent, mentem comprahendentem, quod eis conveniat perfectio, qua ipsae privantur, sicut animae dementium, & infantium. Et huiusmodi quidem duae conditiones animarum, sic se habent, quod nulla earum habet foelicitatem absolute, neque poenam absolute. quoniam huiusmodi animae non cognoscunt perfectiones: ita, ut declinent ad eas, & desiderent

DE ALMAHAD

ipsas advenire substantiis suis. unde cruciantur ex diminutione illarum perfectionum, & privatione ipsarum: sicut cruciantur, & laeduntur famelici a fame: neque eas laedunt etiam, seu cruciantur impressiones, & qualitates naturales contrariae substantiae animae: quoniam animae praedictae sunt innocentes, seu innoxiae. Et ordo quidem primus animarum secundum quantitatem, vel mensuram cognitionis, quam habuerit de primo principio, habebit impressionem aliquam ex impressionibus foelicitatis. Animae vero diminutae in habitibus speculativis, & noxiae non virtuosae, habebunt poenam, & cruciatum, si cognoverint, quod eis conveniat perfectio aliqua [absolute. Et talis quidem poena ab eis non removebitur,] Si vero diminutio earum erit vacua a cognitione, quod eis inhaereat, vel conveniat illa foelicitas: tunc poena ipsarum erit secundum qualitates malas, vel habitus malos, qui eis accidunt a corpore in mundo naturali. Illud vero quod attribuitur opinioni Alexandri seu scholae Alexandri, quod animae diminutae absolute corrumpuntur cum corruptione corporis: non est res vera, neque est ex opinione **Arist.** quoniam animae secundum quod affirmavimus, & conclusimus sunt remanentes de necessitate post mortem. Dixerunt quidam sapientes quod animae bonae acquirunt augmentum delectationum, & bonorum ex occurso, vel ex associatione cum animabus perfectis virtuosis. Animae vero malae vitiosae acquirunt augmentum poenarum, & cruciatus ex associatione, seu coniunctione cum animabus malis viciosis: quoniam unusquisque ordo coniungitur cum re sibi consimili in qualitate, & habitu coniunctione intellectuali. Et quod delectatio, & poena occurrens ex associatione praedicta, erit infinita. Et declaratio, seu intentio istius opinionis praedictae est, quod animae virtuosae excellentes, quando coniunguntur cum animabus virtuosis excellentibus, delectantur cum eis. Sed animae vitiosae, quando coniunguntur cum animabus vitiosis, consequuntur contrarium illius. tristantur enim, & poenam consequuntur. Et unaquaeque anima rationalis intelligit essentiam suam, & intelligit illud quod est simile essentiae suae, continue augendo magis, ac magis cognitionem suam. Non ne concedendum quod ipsae animae tunc intelligunt primam intelligentiam, quae est causa ipsius, & principium suum? Et quidam

Margin1: Alia litera. aeterna seu non removibilis ab eis.

Avicenna

alii sapientes dixerunt, quod via Altenasach sit impossibilis, & falsa: tamen ex eis, quae sunt possibilis non prohibita in ea, est quod quaedam animae continuantur cum quibusdam animabus secundum modum imprimendi in eis bonum, & malum: quoniam non est longinquum, quod accidat complexio proxima, vel similis complexioni corporis: cum quo anima dependebat, propter causam, quae erat in corpore primo, a quo fuit separata anima. & propter hoc cum corpore habenti complexionem praedictam anima separata post mortem, habet dependentiam: Verum impossibile est, quod ab eo dependeat totali dependentia, propter causas praedictas: quia tunc duae animae essent in corpore uno. quod est impossibile. quia dependet anima praedicta, ab eo dependentia non totali, sed dependentia aliqua infra illam: quae est: quod ipsa anima continuatur cum corpore praedicto continuatione spirituali. quare in anima corporis habentis complexionem similem praedictam, augetur malitia, vel bonitas propter talem continuationem ipsius cum anima a corpore separata: quae si fuerit mala, imprimit malitiam. Si vero fuerit bona, imprimit, & auget bonitatem in anima corporis habentis complexionem praedictam. & accidunt ex continuatione illa in animabus, quae sunt in corpore, species appetitus, & morum corporalium. Dixerunt quidam existis, quod virtus cogitativa separatur a materia mediante corruptione corporis, & propter animam intellectivam, quae separatur a corpore. & tunc ipsa virtus cogitativa ex hoc appraehendit intentiones omnes existentes in mundo sensibili, & naturali, & non appraehendit intentiones intelligibiles, separatas. Nam mundus sensibilis hic inferior, efficitur ei tanquam corpus: quoniam in eo retinetur, & non pertransit ad mundum superiorem. quare virtus praedicta efficitur cognoscens omnes causas particulares in mundo: quum, quaedam ipsarum non sint digniores: ut cognoscantur quibusdam aliis. Unde tales animae praevident futura in generabilibus, super quae cadunt motus particulares. quare anima corporea scilicet quae in corpore coniuncta cum ea scilicet cum anima separata, acquirit pronosticationem, & scientiam futurorum. & dixerunt, quod animae malignae ex eis separatae a corpore: tunc sunt magis operantes malum sibi possibile: quoniam sunt egressae a materia impediendo suum motum. quare remanent separatae secundum

DE ALMAHAD

unam semitam. Si enim fuerint bonae imprimunt bonum: si vero malae, imprimunt malum. Et omnes isti affirmant & conveniunt, quod animae malorum sunt diaboli, & quae sunt bonae huius ordinis diminute, dicuntur gen, id est spiritus domestici: seu mazaruoli. & posuerunt animas, quae dicuntur gen, & diabolos, habere dependentiam, & communicationem cum hominibus in hoc mundo inferiori. & quod ab operationibus spiritualibus producuntur operationes naturales. Et posuerunt substantias separatas a materia, habere maiorem virtutem ad exitum de potentia ad actum, & operationem convenientem qualitati, & habitui ipsarum, sive fuerint boni, aut mali. Et sapientes quidem conveniunt, et affirmant, quod animae perfectae in scientiis speculativis, & innoxiae, in alia vita non considerant sensata: neque de eis habent cognitionem. Et quidam sapientes dixerunt, quod in animabus, postquam fuerint a corpore separatae, vigoratur, & remanet virtus cogitativa, vel phantastica cum substantia ipsarum secundum modum praedictum. & quod impossibile est, quod anima expoliata a corpore, sit omnino denudata: ita, quod ei non associetur aliquid de qualitatibus, & impressionibus naturalibus sensitivis corporeis. quare ipsa apud mortem cognoscit mortem, & post mortem ipsa imaginatur hominem, [qui mortuus est secundum formam] suam sicut in somniis imaginabatur. Et ipsamet anima imaginatur [sepulturam suam.] Et imaginatur etiam dolores accidentes ei, & qui debent ei accidere secundum semitam cruciatus, vel poenae sensibilis cognitae. Et imaginatur, & scit omnia, quae cognovit in dispositione vitae huius. Si enim anima fuerit beata post separationem: tunc imaginatur secundum formam laudabilem, vel delectabilem in formis sensationum, & in forma secundum quod vere cognoscit veram beatitudinem. Et dixerunt, quod haec sit poena sepulturae, & praemium, vel delectatio in es. Et dixerunt, quod mundus secundus ipsi animae sit exitus ab indumento istarum qualitatum corporis, vel istarum dispositionum corporis. Et quod indumentum animae ex istis dispositionibus sit sepultura animae. Dixerunt etiam quod non est mirum quod imaginetur formas laudabiles: & appareant ei in fine eius ante mundum secundum scilicet in hora mortis, & post eam omnes dispositiones connumeratae in libris prophetae scilicet

Margin1: Alia litera. in quo ipsa erat ante mortem secundum formam sive figuram.

Margin2: Alia litera. & praecipit corpus suum, in quo prius erat sepulta.

Avicenna

dispositiones paradisi, & mulieres, & aliae delectationes, quae currunt hoc cursu. Sermones autem metaphorici obscuri, qui advenerunt secundum sectas diversas, & ex quibus sermonibus varii varia dixerunt de Mahad, & crediderunt: non possunt comprahendi, neque numerari. Quod autem affirmavit Ebencora philosophus, est mirabile: ipsae enim putavit quod anima separatur a corpore, & permutatur in corpus subtile. Et hoc est ex eis, quae non habent rationem: vel quae non sunt vera nisi metaphorice, vel in aenigmate: sicut reliqua aenigmata. Et postquam ad haec pervenimus, finem huic operi imponamus. Laudes, et gratias Deo altissimo agentes. Rogamusque seniore[m] populi devotum, ut patienti oculo perlegat hunc librum: & ea quae in ipso sunt abiicienda, abiiciat, & corrigat.

FINIS.

Declarationes super capitulo septimo de cognitione graduum & c.

NON quaelibet delectatio est sensualis supple sensu exteriori, aliqua enim est delectatio, quae non est sensualis, sed intellectualis, vel imaginaria, & huiusmodi quidem delectatio, quae non est sensualis dignior est, & excellentior, & intensior, quam delectatio sensualis, Delectatio enim sensualis non est comparanda in dignitate, & excellentia delectationi non sensuali. Delectatio ergo sensualis non est proxima ei scilicet delectationi non sensuali in dignitate, & excellentia.

ET SIMILITER dicendum est de doloribus id est sicut dictum est de delectatione, ita, dicendum est de doloribus, quod non omnis dolor est sensualis sensui exteriori, immo aliquis est dolor mentalis, & intellectualis, vel imaginarius, & dolor mentalis, & intellectualis intensior, & fortior est, quam dolor sensualis.

ET CONVENIENS cuiuslibet istorum scilicet virtutis irascibilis & c. est secundum illam rationem scilicet quod perficit substantiam, & intrat in complemento operationum. eius, quia praesentia vindictae, & victoria super inimicum delectat virtutem irascibilem, & est conveniens virtuti irascibili, & praesentia rei imaginatae delectat virtutem imaginativam, & sic de aliis.

OMNIS virtus appraehensiva posita est propter finem actionis, aut non actionis. Nam intellectus agens est virtus appraehensiva, & agit denudando species a rebus particularibus, & individuus, & intellectus possibilis

DE ALMAHAD

est propter finem non actionis scilicet propter finem, ut patiat, quia recipiendo species patitur: aliqua etiam est virtus futura interior, quae est propter finem passionis, sicut sensus communis recipiendo species a sensibus exterioribus. cogitativa vero posita est propter finem actionis, quia componit, & dividit, & talis operatio est actio quare & c.

ET RES quidem adveniens ei scilicet virtuti appraehensivae producens ipsam scilicet virtutem appraehensivam ad illum finem, & ad propriam operationem, est delectabilis, & conveniens illi virtuti. Nam dulce adveniens virtuti gustativae perducit ipsam ad gustum, in quo non fit **lesio** in organo gustus, quare dulce est conveniens virtuti gustativae. Et similiter virtuti auditivae conveniens est vox lenis, quia ipsa perducit virtutem auditivam ad operationem, & reducit ipsam de potentia ad actum, & talis vox lenis est temperata inter vocem acutam, quae sui acvitate separat organum auditus, & inter vocem gravem, quae multum aggregat instrumentum auditus. Et sic de aliis dicatur. ET OMNIS virtus appraehensiva posita est propter finem actionis, aut non actionis. Ista litera exponitur alio modo ab eo, quo supra exponebatur propter finem actionis id est propter finem, ut obiectum proprium agat in ea. Nam virtus visiva posita est, ut in ea agat coloratum quod est eius obiectum proprium, aut est posita propter finem non actionis, id est propter finem, qui non est actio, sed passio, quia virtus visiva posita est in oculo propter hunc finem videlicet, ut patiat a colorato, & sicut dictum est de virtute visiva, ita dicatur de aliis virtutibus appraehensivis, quod finis earum est propter actionem, aut propter passionem ut dictum est.

ET ISTARUM quidem rerum actiones id est. Et istarum virtutum praedictarum actiones, id est virtutes activae, & imprimentes in has virtutes praedictas sunt in subiectis extrinsecis ab eis scilicet virtutibus, quia color agens, & imprimens in virtutem visivam non est in oculo, sed in colorato, quod est extrinsecum ab oculo, & ab organo, in quo est virtus visiva. QUAE dum non continuata fuerint etc id est dum talia subiecta vel obiecta praedicta extrinseca ab oculo, & a virtute compraehehensiva non fuerint continuata cum eis id est cum virtutibus praedictis, tunc non agunt, & non imprimunt in virtutes appraehensivas, sed quando obiecta fuerint coniuncta cum virtutibus praedictis, & non fuerint ledentia tunc sunt delectabilia, & convenientia.

DELECTATIO autem sensualis vera & c. Id est delectatio vera sensualis est, quando membrum sensibile sentit, quod ipsum redit ad dispositionem naturalem, vel sentit, quod ipsum egreditur ex dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, sentit enim: permutari de non convenient ad convenientes: & ex sensatione convenientes causatur delectatio. Patet ergo qualiter delectatio sensualis est sentire convenientes, & est reditio membri ad suam dispositionem naturalem. Et dicatur, quod ex hoc dicto

Avicenna

sequitur, quod homo temperatus in despositione naturali sana, non sentiret delectationem eo, quia non permutatur ex dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, neque redit ad dispositionem naturalem, quia ipse ante sensationem delectationis erat in dispositionem sana naturali, quare & c. dicendum dupliciter, sicut dictum est in lib. Avicennae de viribus cordis, quod delectatio causatur ex sensatione rei convenientis. Et talis sensatio quandoque fit ex hoc quod membrum permutatur a dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, ut dictum est, & quandoque causatur delectatio, non expermutatione praedicta de dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, sed ex hoc quod appraehenditur, vel sentitur res conveniens, sicut in homine temperato sano naturaliter dispositio, in quo sentitur delectatio, quia talis homo sentit rem convenientem. Et licet sentire consistat in quodam pati, ut dixit **Arist.** & passio non fit a simili, sed a re diversa, vel contraria, tamen quando talis homo sentit conveniens, non patitur a re contraria, neque permutatur ad dispositionem non naturalem contrariam dispositioni primae, sed patitur a re diversa, quae res diversa non contrariatur dispositioni corporis sani temperati, sed potest stare cum ea, sicut humiditas, licet sit res diversa a caliditate, tamen non contrariatur caliditati sed potest stare cum caliditate. Eodem modo res conveniens quam sentit homo sanus temperatus in dispositione naturali, licet non sit contraria dispositioni naturali hominis, tamen est res diversa ab ea, quae cum ea potest stare. Et ideo sentire conveniens non semper causatur ex hoc, quod fit permutatio ex dispositione non naturali ad dispositionem naturalem, immo hoc est per accidens, & non semper: quandoque enim causatur delectatio in homine sano, & tunc non fit permutatio praedicta sicut declaratum est. Aliter respondetur, quod membrum corporis sani licet sit secundum se bene, & naturaliter dispositum, tamen per respectum ad operationem ad quam tanquam ad finem est ordinatum, dicimus quod pro tempore, quo membrum privatur propria operatione, non est totaliter in naturali dispositine, sed quando operatur suam operationem, tunc fruitur suo fine, & perficitur, & ideo tunc est in naturali dispositione, Quando ergo membrum sanum temperatum sentit conveniens, & delectatur, tunc dicimus quod tale membrum in tali sensatione, convenientis permutatur ex dispositione non naturali scilicet ex privatione operationis suae, & sui finis ad dispositionem naturalem id est ad sensationem rei convenientis, ad quam ordinatur.

DELECTATIO igitur rei comestae & c. Nota quod fames est quaedam tristis sensatio causata ex attractione, vel suctione membrorum & c. propter consumptionem humidi, & propter effusionem humoris melancholici ad os stomachi, ex quo humore acri leditur os stomachi, & causatur tristis sensatio, quae quidem per assumptionem cibi removetur: quia ergo per assumptionem cibi removetur illa tristis sensatio, & fames, & reducitur stomachus

DE ALMAHAD

ex dispositione non naturali ad dispositionem naturalem. Ideo ex assumptione cibi causatur delectatio. Sitis autem est dispositio non naturalis in qua humidum roridum oris stomachi est consumptum, & per rem bibitam removetur sic citas illa, & dispositio non naturalis ab ore stomachi, & reducit stomachus ad dispositionem naturalem: quare stomachus ex re bibita sentit delectationem. Patet ergo qualiter delectatio rei comestae, & bibitae id est delectatio, quam stomachus consequitur ex re comesta, & bibita fit propterea, quod ex re comesta removetur fames, & ex re bibita removetur sitis: & tam fames, quam sitis sunt sensationes tristes, & dispositiones non naturales. Non est ergo mirum si ex remotione famis & sitis causatur delectatio in re comesta, & bibita.

ET DELECTATIO quae fit in coitu. In hac parte Avicenna ex delectatione coitus declarat, quod delectatio vera sensualis est sensatio qua corpus vel membrum sentit se reduci ad dispositionem naturalem, & hoc fit, quando sentit horridum **ledensiam** removeri. Delectatio enim quae fit in coitu est similis delectationi titillationis. Nam delectatio, quae fit in coitu causatur hoc modo: quod aqua, vel humiditas spermatica, aut similis spermati fluens super membrum glandosum habens carnem mollem excoriat seu mordicat suo fluxu, & sua acuitate illud membrum, quare fit in eo sicut adustio, & laesio, quae dici potest titillatio, quae laesio & titillatio postea velociter abscinditur, vel removetur, pars enim laesa praedicta, propter humiditatem spermatis fluentis lenificatur, & reducit ad dispositionem naturalem ipsius absque temporis intermissione id est subito, quare sentitur delectatio propter virtutem sensitivam membri fortem. Et haec quidem delectatio coitus est similis delectationi, quae fit ex fluxu olei aut humiditatis viscosae unctuosae super vulnus, in quo proxima est cutis origo: sed non operatur adhuc id est sed tamen adbuc natura non complevit operationem suam in generando cutem. quare cum ibi sit dispositio sicca aspera superveniente oleo aut aliquo leni removetur illa asperitas, & sentitur delectatio, Et ad maiorem declarationem eorum, quae dicta sunt de spermate, quod ipsum suo fluxu super membrum mordicat, & laedit, & postea lenificat, & reducit membrum ad dispositionem naturalem & c. Sciendum quod in spermate sunt duae partes quarum una est acuta mordicans, vel adurens seu titillans, alia est pars humida lenis, quae fluendo super membrum iam mordicatum, & laesum lenit, & reducit ad dispositionem naturalem. Aliter dicere possumus quod in homine fluit ex vasis spermatis humiditas algaudi, quae non est verum sperma, & talis mordicat, & causat titillationem in membro, & eius fluxus super membrum glandosum praecedit **fluxum** spermatis veri, & prima humiditas alguadi causat mordicationem, & titillationem, & stimulat ad coitum, & ad expulsionem. Secunda vero humiditas spermatica causat suo fluxu super membrum delectationem in coitu: & sic patet qualiter

Avicenna

verificentur dicta Avicenna & qualiter in delectatione reducitur membrum, a dia dispositione non naturali, ad dispositione non naturalem: et sentitur res nociva iam removeri. AMPLIUS in coitu phantasia, & imaginatio affectans aliquid & c. Postquam Avicenna declaravit quid sit delectatio sensualis, & qualiter causetur delectatio sensualis in coitu secundum semitam naturalem scilicet secluso operae intentionali, vel imaginario. In hac parte affirmat, quod phantasia, vel imaginatio affectans aliquid in coitu adiungitur huic intentioni, id est huic delectationi sensuali coitus praedictae. Unde ex tali imaginatione, vel phantasia affectante, quae in coitu est concupiscentia animalis id est concupiscentia accidens animali, augetur delectatio illa in coitu: phantasia ergo, & imaginatio affectans rem aliquam seu declinans ad rem aliquam auget delectationem sensualem, quae habetur circa illam rem. Et propter hanc causam homo cupiens habere delectationem coitus eligit coitum potius cum muliere, quam plus amat, & concupivit, & ad quam phantasia magis inclinatur, quam cum muliere, quam non concupivit, & ad quam non inclinatur phantasia & imaginatio. Et si huic homini appetenti coitum offeratur mulier magis pulera plus disposita secundum naturam, & complexionem, & etatem ad causandum delectationem coitus, quam mulier, quam concupivit, & imaginatio affectavit, & dimittatur talis mulier pulera praedicta, quam homo ille non concupivit, & quae fuit in potestate illius hominis. Si dimittatur dico cum illo homine solo, tunc talis homo renuet, aut non ita cito procurabit habere coitum cum illa muliere pulera, quam non amat, sicut cum muliere non pulera, quam amat, & desiderat, immo posito quod diversis temporibus coeat cum utraque, tunc talis homo sentiet maiorem delectationem ex coitu cum muliere, quam diligit, et concupivit, quam cum muliere pulera, quam non concupivit: & tamen mulier pulera praedicta secundum naturam, & dispositionem sui corporis est magis apta inducere maiorem delectationem in coitu, quam mulier, quam homo ille diligit, & ad quam phantasia ipsius est inclinata. Et quod dictum est de duabus mulieribus quarum una est pulerior, & melius disposita quam altera, similiter, & multo plus dicatur de duabus mulieribus aequaliter pulcris, & aequaliter dispositis ad causandam delectationem in coitu, quarum unam homo aliquis concupiscat, & ad ipsam phantasia illius magis inclinetur, quam ad alteram, tunc patet quod talis homo sentiet maiorem delectationem in coitu cum muliere amata, ad quam phantasia illius hominis inclinatur, quam cum altera muliere aequaliter pulera & disposita, ad quam phantasia non est inclinata. Ex quibus patet, quod imaginatio, & phantasia vehementer auget delectationem, & per consequens delectatio habita secundum virtutes appraehensivas interiores maior est. quam habita secundum virtutes appraehensivas sensuum exteriorum. Et sicut delectatio habita ex appraehensione sensuum interiorum est vehementior, & excellentior, quam delectatio

DE ALMAHAD

habita ex appraehensione sensuum exteriorum, ita delectatio habita ex appraehensione obiecti convenientis facta a virtute intellectiva, sicut infra declarabitur ab Avicenna, multo excellentior est, quam delectatio habita ex appraehensione sensuum exteriorum aut interiorum, & quod dictum est de delectatione, dicatur etiam de dolore. Et sic delectatio, aut dolor non sensualis sed appraehensus per virtutem intellectivam acquisitam excellentior est, quam dolor, aut delectatio sensualis: immo delectatio, et dolor sensualis non est comparanda in dignitate, & excellentia dolori, & delectationi non sensuali habita per virtutem intellectivam.

ET SI non esset ista concupiscentia coadiuvata & c. In hac parte Avicenna confirmat, quod imaginatio & phantasia auget delectationem sensualem dicens, quod si concupiscentia coitus praedicta in animali existens innata, & connaturalis pro conservatione specierum animalis non esset coadiuvata a phantasia, vel & non procederet a phantasia, vel ab imaginatione, tunc delectatio sola, quae est naturaliter secundum sensum secluso opere imaginationis non sufficeret stimulare animal ad amorem, & ad coniunctionem coitus cum hac vel illa magis quam cum alia, & non esset intentio animalis, quae nunc est id est animal non intenderet, ita ad delectationem coitus, & conservationem speciei suae, & generationem, sicut nunc intendit, Apparet ergo qualiter imaginatio, et phantasia augent delectationem sensualem in coitu.

DELECTATIO autem irae seu virtutis irascibilis est adventus victoriae & c. Postquam Avicenna manifestavit, qualiter fiat delectatio sensualis in comestione cibi, & potu, & in coitu, consequenter declarat, qualiter fiat delectatio apud virtutes appraehensivas interiores, de quibus supradictum est .s. apud virtutem irascibilem, & virtutem desiderativam, & imaginativam, quando quaelibet istarum virtutum appraehendit sibi conveniens. In hac ergo parte Avicenna declarat, quod sit conveniens cuiuslibet virtutum praedictarum, quae sit delectatio ipsarum, Dicit ergo delectatio autem virtutis irascibilis est adventus victoriae supple super inimicum, quoniam ira, & virtus irascibilis insita est in animali propter hanc intentionem scilicet propter victoriam acquirendam contra inimicum, ne amplius ledatur aut iniurietur ab inimico. AMPLIUS componuntur ex istis simplicibus delectationes id est ex delectationibus simplicibus istarum virtutum praedictarum scilicet virtutum sensuum exteriorum, & interiorum componuntur delectationes compositae, quandoque enim componitur delectatio ex visu, & olfatu, & tactu rei delectabilis, quando obiecta delectabilia a qualibet istarum virtutum simul appraehenduntur. Et quandoque ex delectationibus & c id est & quandoque ex delectationibus est aliqua delectatio, in qua communicant aliae virtutes appraehensivae, & delectantur, sicut est delectatio in cogitatione de victoria habita, aut in cogitatione de aliqua alia

Avicenna

delectatione: in huiusmodi enim cogitatione conicit virtus existimativa, & imaginativa, & irascibilis, et appetitiva, quia quando aliquis cogitat de victoria habita contra inimicum, delectatur, & quaelibet istarum virtutum communicat, & concurrat in tali cogitatione de victoria, et delectatur. Nam virtus existimativa & imaginativa delectatur de tali victoria acquisita, & similiter virtus irascibilis et appetitiva, ut patet quia quaelibet istarum appraehendendo victoriam appraehendunt conveniens, quare & c.

QUARE manifestum est & c. In hac parte Avicenna concludit, & declarat quod ex delectationibus sensualibus, de quibus dictum est supra, manifestum est, quod delectationes fiunt ex appraehensione convenientium sicut supra affirmatum est, Et convenientia quidem perficiunt substantiam supple eorum, quibus sunt convenientia, & perficiunt operationem substantiae ipsorum: si ergo ita est, quod delectationes fiunt ex appraehensione convenientium, sequitur, quod proportio delectationum adinvicem scilicet unius ad alteram id est comparatio delectationum adinvicem scilicet unius ad alteram in dignitate, & excellentia, et perfectione est sicut proportio id est comparatio virtutum appraehensivarum inter se: quanto enim virtus appraehensiva est nobilior, & perfectior alia: tanto delectatio illius virtutis appraehensivae nobilioris est excellentior, et maior, & nobilior. Et quanto subiectum et organu alicuius virtutis appraehensivae est perfectius, & melius dispositum, tanto delectatio illius organi est excellentior. Et hoc non solum est verum in delectationibus virtutum appraehensivarum diversarum specierum, sed etiam in delectationibus virtutum appraehensivarum eiusdem speciei. Nam appraehensio virtutis tactivae in iuvene temperato perfectior est, quam in sene melancholico.⁹ Et ideo delectatio tactus in iuvene temperato excellentior est, quam delectatio tactus in sene praedicto. Similiter delectatio visus in oculo bene disposito, quam delectatio visus in oculo male disposito habente visus debilitatem. Et quanto obiectum seu una res, & una perfectio conveniens alicui virtuti appraehensivae est dignior altera, tanto delectatio illius virtutis appraehensivae est excellentior alia delectatione: quanto enim obiectum conveniens visui, & tactivae virtuti, & gustativae, & sic de aliis, est nobilior, et convenientius, tanto delectatio cuiuslibet virtutum praedictarum est maior: & quanto obiectum praedictum est minus nobile, & minus conveniens, tanto delectatio circa tale obiectum est minor, & ignobilior. Et si delectatio fit ex appraehensione convenientium, ut probatum est, sequitur, quod quanto una virtus appraehensiva, vel una appraehensio est perfectior, & dignior, quam alia eiusdem speciei, aut diversae speciei cum illa, tanto delectatio illius virtutis appraehensivae est maior, & excellentior. Et ideo si appraehensio visus est perfectior in aliquo homine quam in alio, tunc delectatio visus in homine habente visum perfectiorem excellentior est. quam in homine diminute vidente. Patet ergo quod proportio delectationum adinvicem

DE ALMAHAD

est, sicut proportio virtutum appraehensivarum inter se, & rerum convenientium inter se, & appraehensionum inter se.

AMPLIUS ex notis manifestis per se: postquam praemisit Avicenna, quod delectationes fiunt ex appraehensione convenientium. Et quod proportio delectationum adinvicem in dignitate est, sicut proportio virtutum appraehensivarum inter se, & rerum convenientium inter se & c. In hac parte intendens probare, quod delectatio & dolor, quae attribuuntur animae intellectivae in tempore Mahad id est in tempore post separationem a corpore, non sunt comparanda delectationi, & dolori, quae sunt in hoc mundo. Et illa, quae Avicenna in hac parte praesupponit, sunt nota, & manifesta scilicet quod anima rationalis sit appraehensiva, & habeat virtutem appraehensivam & quod substantia animae intellectivae sit nobilior, quam essentia & c. Litera patet. ILLA vero id est virtus sensitiva est dependens a materia & c. AMPLIUS appraehensio, & cognitio ipsius scilicet animae intellectivae nobilior est & c. Sed dubitatur circa dictum superius videlicet, quanto appraehensio aliqua est dignior alia, tanto delectatio illius appraehensionis est maior. Nam appraehensio visus est nobilior, ut patet per **Aristo.** in libro de sensu, & sensato dicentem magis diligimus sensum visus, quia multimodas & c. & dicunt alii praecipue musici, quod sensus auditus, & eius appraehensio est nobilior **eo**, quia visus debilitatur ex frequenti visione, auditus vero non sic debilitatur, sed magis perficitur. Auditus etiam sentit ad quamcunque differentiam positionis ante, **retro** & lateraliter, sed visus non appraehendit, nisi ea quae oculis opponuntur. Ex praedictis ergo patet, quod secundum diversas opiniones appraehensio visus vel auditus est nobilior, quam appraehensio tactus, & tamen delectatio visus, & auditus non est excellentior quam delectatio tactus: dixit enim Avicenna primo **canon fen** secunda **capitu.** de causis deliciarum, quod propterea quod tactus omnibus sensibus est spissior, et magis retinens illud, quod recipit ex impressione convenientis, aut non convenientis. Ideo eius sentire illud quod est conveniens est maior delectatio. Et eius sentire quod est inconveniens est deterioris doloris quam illud, quod aliis virtutibus existit proprium. Respondetur, quod delitiae & delectatio sensualis magis attribuitur tactui, quam aliae virtutibus: ut dictum est, quia sensus tactus est materialior, quam aliae virtutes sensitivae, & ideo sensus tactus diutius retinet, & conseruat species impressas a re tangibili. Et quia appraehensio rei tangibilis convenientis aut inconvenientis diutius retinetur & conseruatur materialiter in virtute tactiva. Ideo delectatio tactus est maior, quam delectatio aliorum sensuum, sed hoc est per accidens ratione appraehensionis virtutis tactivae existentis magis spissae, & magis materialiter recipientis, & diutius conseruantis. Sed ubi essent duae virtutes appraehensivae sensuales aequae materialiter recipientes, tunc delectatio appraehensionis nobilioris excellentior est, quam delectatio appraehensionis

Avicenna

non ita dignae & perfectae. Aliter respondent aliqui dicentes: quod appraehensio viva non fit ab oculo, sed a virtute animae, & quod nervus obticus, aut eius cruciatio vel humor christallinus sunt instrumenta virtutis visivae, quae fit ab anima, & tu considera. Alii respondent aliter quod propositio superius dicta scilicet quanto appraehensio est dignior, intelligitur, quod quanto appraehensio est certior, & verior, & magis distincta, tanto delectatio illius appraehensionis est maior: & hoc est verum comparando appraehensionem ad appraehensionem eius speciei vel alterius speciei.

AMPLIUS quae appraehenduntur ab ipsa scilicet anima intellectiva: sunt res convenientes nobiliores, vel obiecta convenientia nobiliora, quoniam quae appraehenduntur sunt intentionis certe & c. Litera patet.

NAM perfectiones animarum rationalium & c. Est quod fiant essentiae expoliatae ab omni alteratione, & divisione seu multiplicatione. Pro declaratione huius nota, quod animae hominum alterantur, & diversificantur, & multiplicantur secundum diversitatem habituum moralium virtuosorum, aut vitiosorum, secundum quos habitus animae simulantur animalibus seu animabus animalium habentium mares eis conformes. Unde anima vitiosi superbi similitur animae leonis, & anima luxuriosi similitur **porcho**, & similiter de aliis dicatur: quia igitur animae humanae alterantur, & permutantur ex moribus bonis ad malos mores, & quandoque econtra, ideo verum est dicere, quod anima humana dum est in corpore, alteratur, & multiplicatur seu diversificatur. Dico alteratur supple secundum mores diversos: multiplicatur, quia si anima acquirit mores lupi, efficitur anima similis animae lupi. Et si acquirit mares porci, tunc efficitur anima similis animae porci. Sicut ergo anima hominis in corpore existens acquirit varios mores similes moribus seu naturis diversorum animalium, ita anima hominis dicitur multiplicari & effici aliquando anima porci, quando habet mores, qui simulantur naturae porci, & aliquando effici anima leonis vel similis animae leonis, quando habuerit mores leonis. Anima ergo in corpore humano alteratur & diversificatur in moribus, & efficitur similis naturae, & moribus diversorum animalium: sed quando animae virtuosae perfectae erunt a corpore separatae, tunc ipsae erunt expoliatae a tali alteratione in moribus, & diversificatione, & erunt expoliatae a dispositione: qua simulantur diversis animalibus brutis, sicut prius erant dum erant **corporum unitae**. Nam post separationem animarum a corpore, tunc animae virtuosae separatae habent hanc perfectionem scilicet quod ipsae permanent in habitu suo, & non permutantur, immo magis perficiuntur, & efficiuntur similes angelis, sicut infra patebit.

IN QUIBUS sunt species omnium entium: hic assignat aliam perfectionem, quod in animabus separatis a corpore & expoliatis ab alteratione praedicta sunt species omnium entium: ita, quod tales animae praedictae secundum Avicenna cognoscunt omnia entia. Et pro declaratione huius sciendum, quod angeli,

DE ALMAHAD

substantiae separatae, & animae separatae a corpore, **tum** sint substantiae incorporeae spirituales non occupantes locum, neque habentes situm, neque differentiam positionis, cognoscunt omnia entia, & species omnium entium sunt in eis: quia cum ipsae animae sint substantiae incorporeae, & intellectivae appraehendunt res coram eis existentes, & res in eis species suas imprimentes; & cum omnia entia sint sibi praesentia, quia non est maior ratio, quod unum imprimat speciem suam in eis, & sit coram eis magis quam aliud ens, quia respectu animarum praedictarum non potest dici, quod unum ens magis sit propinquum eis, aut remotum ab eis, quam aliud ens. Omnia ergo aequaliter se habent ad ipsas animas, quae quidem cum sint incorporeae absque differentia positionis, & absque aliqua distantia sunt praesentes, & indistantes omnibus entibus. Et nihil eis prohibet appraehensionem omnium entium. Verum secundum quod una substantia separata est magis perfecta, quam alia & secundum, quod una anima separata a corpore est magis perfecta quam alia, ita melius & distinctius cognoscit omnia entia, & intelligit, quam alia. Angelus enim perfectior altero, & similiter anima perfectior altera melius intelligit omnia entia, quam anima non ita perfecta: sicut enim si multa & diversa entia essent coram oculis diversorum hominum, tunc homo habens oculos magis dispositos perfectius videt illa entia, quam alius homo habens oculos male dispositos, & tamen dicimus, quod illa omnia entia multa & diversa coram oculis illis videntur, ita dicendum, quod omnia entia, cum sint praesentia animabus perfectis separatis a corpore, intelliguntur, & cognoscuntur ab eis, tamen perfectius intelliguntur ab una anima separata a corpore, quam ab alia, secundum quod talis anima perfectior est, & magis disposita ad intellectionem: Talis autem dispositio acquiritur in hoc mundo mediante virtutibus, & actibus moralibus, & habitibus praticis, & speculativis. Tales autem habitus pratici, & speculativi non habentur nisi ex frequentatis actibus speculando, et bene operando. Anima autem, quae in hoc mundo, & in hoc corpore fuerit immersa circa vitia, & minime occupata circa scientias, non erit post mortem, & post separationem a corpore ita disposita ad intellectionem, sicut anima perfecta. Verum Christiani tenent quod anima hominis virtuosi in hoc corpore, licet non occupata fuerit circa scientias, sed tantum circa mores bene viuendo & c. virtute divina disponetur post separationem a corpore, quod ipsa perfectiori modo intelliget omnia entia, quam anima sapientis, secundum quod a Deo disponetur & in ea infundetur scientia et hoc idem tenent aliqui Maumethani. Sed redeundo ad propositum animae separatae intelligunt omnia entia, & in eis sunt species omnium entium. Et si dicatur, quod tunc animae separatae intelligendo omnia entia erunt equales Deo glorioso in cognitione sua. Respondetur ut dictum est, quod animae separatae licet intelligant omnia entia secundum modum dictum, tamen quia Deus perfectiorem habet entitatem,

Avicenna

& dispositionem, quam omnes aliae substantiae separatae, & quam omnia alia entia a Deo: Deus perfectiori modo, & melius intelligit omnia entia, quam animae separatae, & quam omnes angeli & c. Et licet Deus cognoscat omnia entia ex hoc, quod omnia entia sunt praesentia, sicut etiam sunt praesentia angelis & animabus separatis, tamen Deus ad hoc secundum alium modum cognoscit omnia entia perfectius & melius, nam omnia entia relucent in essentiam divinam tanquam in suam causam, sicut species visibilium in speculo. Deus ergo intelligendo essentiam suam intelligit etiam omnia, quae relucent in eam tanquam effectus in causam, & ideo Deus cognoscit omnia entia perfectiori modo. quam angeli, & quam animae separatae.

QUARE ipse sunt essentiae similes essentiis intelligentiarum & eis conformes & c. Ex praedictis concludit quod quia animae separatae a corpore sunt expoliatae ab omni alteratione, & cognoscunt omnia entia, sicut dictum est & sunt separatae a materia. Ideo simulantur essentiis intelligentiarum, sicut enim intelligentiae sunt expoliatae & c. Et cognoscunt omnia, et sunt separatae a materia, ita etiam animae separatae a corpore: quare essentia animarum praedictarum similatur essentiae intelligentiarum, & est ei conformis. Verum radix, & essentia ipsarum scilicet intelligentiarum est spirituosa similis in hoc essentiae creatoris nostri id est Dei nostri, & radix vel essentia corporea id est formae corporeae informantis corpus vel existentis in corpore est sensata id est informat corpus sensatum, ET EST permixta cum privatione & malitia: quia anima existens in corpore non habet in actu omnes suas operationes, sicut intelligentiae. Anima etiam existens in corpore quandoque acquirit malitiam scilicet vitia id est ipsa est permixta cum malitia, & cum privatione, quae privatio est quaedam diminutio, & malitia. Intelligentiae vero non habent talem permixtionem cum malitia, neque cum privatione, quia ipsae habent in actu omnia, quae sibi conveniunt, & non in potentia: intelligentiae etiam habent voluntatem immutabilem, neque possunt velle nisi bonum: ipsae igitur non sunt permixtae cum malitia, neque cum privatione, sicut anima in corpore existens, quae tunc est substantia spissa aquosa id est quae tunc non est substantia limpida clara, sed est substantia aquosa turbida id est est substantia similis substantiae aquae spissae non omnino clarae. Anima igitur licet sit lucida, & de natura lucis, tamen ipsa obscuratur a corpore. & obtenebratur, & fit sicut aqua turbida non clara, sed intelligentiae sunt omnino lucidae, & substantia ipsarum non obtenebratur ab aliquo, sicut obtenebrantur animae ex sensibilibus, et a vitiis mundanis. ET COMPARATIO istarum quatuor intentionum scilicet praedictarum, quarum prima fuit, quod sit sensata, secunda quod sit permixta cum malitia, et cum eo quod est in potentia, et cum privatione, tertia quod sit spissa, quarta quod sit aquosa turbida. Et hae intentiones quatuor, quae attribuuntur animae humanae: dum est in corpore, sunt intentiones, quae attribuuntur animae sensitivae id est animae brutorum,

DE ALMAHAD

talis enim anima est materialis sensata, quia non habet esse nisi in re sensata corporali, & non habet nisi operationes sensuales, talis etiam anima est permixta cum malitia & cum privatione, privata enim est & diminuta a multis perfectionibus, talis etiam anima brutorum est spissa, quia materialis, & substantia aquosa turbida. Comparatio igitur inter intelligentias & inter animas humanas separatas a corpore est, quod intentiones, quae attribuuntur animae sensitivae brutorum, attribuuntur etiam animae humanae: dum ipsa est in corpore. MANIFESTUM est igitur & c. Aliter exponitur **ly**. VERUM essentia vel radix ipsarum & c. Quod intentio Avicennae in hac parte est, quod anima humana separata a corpore habeat hanc perfectionem, quod sit expoliata ab alteratione, & quod cognoscat omnia entia, & propter hoc similatur intelligentiis, ut dictum est, tamen principium & radix animae humanae est substantia spirituosa creatoris nostri, quia intelligentia universalis, ut dictum est, secundum Avicenna est principium a quo emanat forma humana, quae est anima intellectiva, & talis quidem intelligentia universalis est essentia spirituosa, & est instrumentum, & causa secundaria, qua mediante Deus operatur, & creat, & infundit animas **in corporibus** hominum. Talis igitur intelligentia dicitur substantia spirituosa, & dicitur creatoris nostri, quia est instrumentum serviens creatori nostro. Sed principium, & radix substantiae corporeae est res sensata permixta cum malitia, & privatione, & est res turbida spissa. Aliter & melius exponitur quod differentia est inter essentiam animae humanae, & essentiam corpoream propterea, quod essentia & radix animae humanae rationalis est essentia, & substantia spirituosa Creatoris nostri id est emanans, & creata a creatore nostro Deo glorioso mediante intelligentia universali, ut dictum est. Sed substantia vel essentia corporea est substantia sensata permixta cum malitia, & cum potentia, & cum privatione, quia ipsa habet in se diminutionem, & privationem multarum perfectionum, & est in potentia ad multas operationes: & perfectiones. Et comparatio istarum quatuor intentionum est, quae attribuuntur animae humanae, quae quidem intentiones supradictae sunt: quarum una est, quod substantia animae praedicta est appraehensiva, & nobilior, quam aliae virtutes appraehensivae sensitivae, secunda quod cognitio ipsius animae humanae nobilior est, quam cognitio aliarum virtutum. tertia intentio, quod quae appraehenduntur, sunt convenientia nobiliora etc. Quarta intentio est, quod perfectiones ipsius animae rationalis nobiliores sunt quam perfectiones virtutum sensitivarum. Manifestum est autem, quod istae quatuor intentiones praedictae, quae conveniunt, & attribuuntur animae intellectivae, nobiliores sunt, & digniores, quam intentiones ultimae praedictae, quae attribuuntur substantiae corporeae. Et intentiones praedictae sunt digniores, quam perfectiones, quae attribuuntur animae sensitivae, quare delectationes virtutis intellectivae digniores sunt, quam delectationes, quae

Avicenna

attribuuntur virtutibus sensitivis. Manifestum est igitur, quod delectationes quae attribuuntur animae humanae id est animae ipsius in tempore Mahad & c. Alia litera habet. Verum essentia, & radix ipsarum est spirituosa creatoris nostri. Et essentia vel radix rei vel substantiae corporeae est sensata permixta cum privatione, & cum eo, quod est in potentia, & cum privatione. Et est spissa, turbida. Comparando autem istas quatuor intentiones, quae attribuuntur animae humanae ad intentiones, quae attribuuntur animae sensitivae, manifestum est, quod delectatio, quae attribuitur substantiae humanae id est animae ipsius in tempore Mahad, quando anima fuerit perfecta & c.

Ista litera est clarior. Et prima pars huius literae videlicet verum essentia, & radix ipsarum est spirituosa & c. exponatur, sicut immediate supra expositum est. Sed illa particula, Comparando autem istas quatuor intentiones & c. exponatur sic, quod Avicenna in hac parte postquam praemisit, quod proportio delectationum adinvicem in dignitate & excellentia scilicet unius ad alteram est sicut proportio, & comparatio istarum quatuor intentionum inter se scilicet comparatio virtutum appraehensivarum inter se scilicet comparando unam virtutem ad alteram, secundo comparando res convenientes inter se scilicet obiecta convenientia inter se. Tertia intentio, in qua cadit comparatio est comparando perfectiones unius virtutis appraehensivae ad perfectiones alterius. Quarta comparando unam appraehensionem ad aliam. Et quando comparantur istae quatuor intentiones, primo comparando virtutem appraehensivam ad aliam virtutem appraehensivam, secunda comparando obiectum conveniens unius virtutis appraehensivae ad obiectum conveniens alterius, tertio comparando perfectiones unius virtutis appraehensivae ad obiectum alterius. quarto comparando appraehensionem virtutis unius praedictae ad appraehensionem alterius. Et in comparationibus intentionum quatuor praedictarum inventum & demonstratum fuerit, quod quatuor intentiones praedictae, quae conveniunt, & attribuuntur alicui virtuti appraehensivae sint digniores, & nobiliores, quam intentiones similes praedictae, quae attribuuntur alteri virtuti appraehensivae, tunc concludendum & asserendum, quod delectationes alicuius virtutis appraehensivae sint nobiliores, & excellentiores, quam delectationes alterius, quando intentiones quatuor praedictae illius virtutis sunt digniores & excellentiores, quam intentiones praedictae similes alterius virtutis. Demonstratum est autem, quod virtus appraehensiva animae humanae dignior est, quam virtus appraehensiva aliarum virtutum sensitivarum, secundo quod obiectum conveniens virtutis intellectivae nobilius est, quam obiectum virtutum sensitivarum, tertio etiam demonstratum est, quod appraehensio virtutis intellectivae dignior, quam appraehensio virtutum sensitivarum, quarto demonstratum est, quod perfectiones, quae conveniunt animae humanae excellentiores sunt, quam perfectiones animae sensitivae id est virtutum sensitivarum. Quare comparando istas quatuor intentiones

DE ALMAHAD

praedictas quae attribuuntur animae humanae ad intentiones similes, quae conveniunt animae sensitivae scilicet virtutibus sensitivis scilicet comparando virtutem unius ad virtutem alteris, & obiectum conveniens ad obiectu conveniens, & comparando perfectiones ad perfectiones, & comparando etiam appraehensionem animae rationalis ad appraehensionem animae sensitivae: manifestum est ex tali comparatione, & proportione: quod quia intentiones quatuor praedictae quae attribuuntur animae rationali sunt digniores quam intentiones quae attribuuntur animae sensitivae delectatio, quae attribuitur substantiae humanae id est animae ipsius hominis in tempore Mahad, si anima fuerit perfecta, est delectatio, cui non est comparanda aliqua ex delectationibus in hoc mundo existentibus. Mirandum enim esset quod Deus gloriosus tribuerit angelis foelicitatem, & bonum aequale et simile bono, quod attribuitur brutis animalibus, anima autem est de natura angelica, quare sicut foelicitas & delectatio, quae appropriatur naturae angelicae est excellentior quacunqu delectatione, quae appropriatur virtuti sensitivae, & animalibus brutis, similiter delectatio, quae attribuitur animae rationali in alia vita excellentior est quacunqu delectatione in hoc mundo existente, immo delectationes huius mundi non sunt comparando delectationibus, quae attribuuntur naturae angelicae & animae humanae in alia vita.

ITA UT ANIMA obliviscatur: ista litera etiam patet: sed pro conformatione verborum Avicennae dixit Maumethus in lib. Alcoran, quod anima in corpore est sicut homo dormiens, qui nihil cognoscit. Anima vero a corpore separata est sicut homo excitatus a somno, qui plura cognoscit, et intelligit. EST POTENS super dominium virtutis animalis id est super **dominium** virtutis sensitivae SECUNDUM diversitatem maioris vel minoris dominii id est quanto potestas animae rationalis super virtutem sensitivam est maior, tanto **cognitio** illius delectationis alterius vitae est maior, & quanto potestas est minor, tanto cognitio praedicta est minor.

ET ILLI QUIBUS a creatione sua & c id est & homines illi, qui a creatione sua, id est ex complexione sua radicali, & ex influxu coelesti habent hanc gratiam a Deo, quod virtus rationalis dominatur super virtutem animalem id est sensitivam, & virtus ipsorum rationalis elevata est supra virtutem sensitivam, Et virtus eorum intrinseca & occulta id est virtus eorum rationalis quae est intrinseca & occulta, quia talis non apparet sensui, sicut virtus sensitiva, quando ergo talis virtus eorum rationalis occulta elevatur, & dominatur supra virtutes exteriores id est super virtutes sensitivas taliter, quod tales virtutes sensitivae subiectae sunt virtuti rationali, tunc possibile est, quod homines huiusmodi in hoc mundo habeant, & cognoscant aliquam partem seu mensuram, seu aliquem gradum delectationis, quae convenit animae in alia vita. Quae quidem delectatio & foelicitas haberi & principi non potest absolute, & absque mensura id est in gradu summo seu infinito, nisi

Avicenna

in fine vitae & post mortem. FOELICITAS igitur alterius mundi est apud separationem id est percipitur ab anima apud separationem & liberationem animae a corpore, & apud liberationem animae ab impressionibus naturalibus id est ab impressionibus sensationum, quae aliter dicuntur impressiones naturales per comparisonem ad ea quae a ratione, & a voluntate procedunt. ET APUD denudationem essentiae completam id est apud expoliationem essentiae completam scilicet quando essentia animae est complete expoliata ab impressionibus corporeis & ab impressionibus sensationum. Et tunc apud talem separationem animae a corpore, & denudationem completam essentiae animae praedictam. Anima ipsa intuetur, & intelligit essentiam divinam & c. considerat essentias sublimes, & adventum perfectionum ipsius animae, & considerat etiam delectationem excellentem, quae appropriatur sibi in illa hora id est in alia vita, quando anima est separata a corpore, & expoliata & c. CRUCIATUS vero & c. postquam manifestavit foelicitatem & delectationem, quae convenit animae perfectae virtuosae in alia vita, In hac parte ostendit poenam & cruciatum animae vitiosae in alia vita. ET QUONIAM anima rationalis in corpore non est sicut forma in materia & c. In hac parte Avicenna respondet alicui inferenti conclusionem istam ex praedictis scilicet quod corpus sit illud, quod impediatur animam a compraehensione delectationis praedictae, & doloris & cruciatus praedicti. Licet igitur dictum sit supra, quod foelicitas alterius mundi compraehenditur apud separationem animae a corpore, & liberationem ipsius animae ab impressionibus naturalibus & c. tamen quia anima rationalis in corpore non est sicut forma in materia id est non est in corpore, sicut sunt aliae formae materiales, quae sunt in corpore, & quae educuntur de potentia materiae, & dependent in esse ab ipsa materia, & sunt immersae in materia. sed anima rationalis in corpore non est educta de potentia materia, neque immersa in materia, neque dependens in esse ab ipsa materia, & a corpore, quia ut supra probavit Avicenna: essentia animae intellectivae existere potest absque materia, quia igitur anima rationalis in corpore non est sicut forma materialis in materia dependens in esse ab ea, sed est in corpore tanquam forma informans existens principium per se operationis naturalis animalis: & intellectivae. Ideo substantia corporis non est impediens ipsam animam rationalem a compraehensione illius foelicitatis, quae in alia vita compraehenditur immo medians & prohibens animam ab illa foelicitate sunt impressiones, Aliter et melius exponitur, quod Avicenna in hac parte respondet tacitae obiectioni videlicet. Diceret enim quis, quod sicut foelicitas & delectatio alterius mundi non potest appraehendi, & cognosci ab anima existere in corpore nisi secundum partem, & secundum aliquem gradum, & non totaliter propterea, quod corpus impedit, & obtenebrat, sicut ergo anima quantuncunque virtuosi dum est in corpore non potest appraehendere totaliter illam foelicitatem

DE ALMAHAD

non propter impedimentum malorum morum, & propter habitus vitiosos, quia praesupponitur quod talis anima sit virtuosa, immo propter impedimentum corporis, sicut ergo propter impedimentum corporis in hac vita anima non potest appraehendere foelicitatem illam complete, ita etiam in alia vita post separationem a corpore anima non poterit consequi illam foelicitatem et delectationem praedictam, eo, quia anima in corpore obtenebratur a corpore & a materia quam infirmat. Ad hoc respondet Avicenna, quod licet anima rationalis in hac vita sit in corpore, tamen non est in corpore immersa dependens in esse ab eo; sicut forma in materia id est sicut forma materialis educta de potentia materiae, et quae est in materia informans eam, et immersa in materia, aqua dependet in esse. Quia igitur anima in corpore non est sicut forma in materia educta de potentia materiae, et immersa in ea, sed ipsa anima rationalis est in corpore, tanquam forma informans ipsum et tanquam principium operationis naturalis vitalis, et intellectivae, et non dependet in esse a corpore, quia ipsa per se existere potest absque corpore, ut supra probavit Avicenna. Ideo substantia corporis, in quo est anima in hac vita, non est impediens animam cognitione essentiae divinae, et ab appraehensione foelicitatis, et delectationis praedictae, dum erit in alia vita, et separata a corpore immo medians et prohibens animam dum erit separata a corpore, ne consequatur suam foelicitatem, non est corporis substantia, ut dictum est, sed qualitates seu habitus mali a corpore, et a sensibus in animam impressi, et confirmati, prohibent, ne anima a corpore separata consequatur suam foelicitatem. Manifestum est enim apud omnes philosophos, quod habitus boni virtuosus & habitus mali vitiosus acquisiti in hoc mundo fundantur in anima tanquam in proprio subiecto, & non in corpore. Et ideo licet anima separetur a corpore, tamen habitus vitiosi acquisiti ex sensibus dominantibus super rationem remanent in anima separata a corpore. Et sicut tales habitus vitiosi impediabant, & obfuscabant animam in corpore existentem ita, quod talis anima minime inclinata, & disposita erat ad cognitionem rerum speculabilium, & divinorum, ita post mortem in alia vita tales habitus vitiosi impressi in anima, & remanentes in anima prohibent eam a cognitione essentiae divinae, & prohibent eam a suae foelicitate. Dicunt Arabes quod sicut in speculo terso mundo de facili imprimuntur species, ita in anima virtuosa munda imprimitur cognitio rerum. Et sicut in speculo fedato non terso non imprimuntur species, ita in anima fedata vitiosa non imprimitur cognitio rerum divinarum. QUANDO igitur qualitates & c. Litera patet. ET TUNC anima est disposita ac si esset in corpore id est & tunc anima vitiosa post mortem, in qua anima sunt impressi & confirmati habitus vitiosa est disposita, ac si ad huc esset in corpore, in quo prius erat vitiosa. ET SECUNDUM hoc exponitur positio eorum, qui metaphorice dixerunt fieri Altemasach id est animas permutari

Avicenna

de corpore ad corpus. Philosophi enim clarissimi sicut **Plato**, & alii loquentes metaphoricè affirmaverunt fieri talem permutationem sicut supra dictum est. Nam homo luxuriosus assimilatur porco, & avarus lupo, et superbus leoni & c. Quando igitur vitium luxuriae vel superbiae impressum fuerit, & habitatum in anima tunc tale vitium luxuriae habitatum in anima remanet in anima separata a corpore, in qua anima prius erat tale vitium, ac si talis anima adhuc esset in corpore sicut prius, quia igitur vitium luxuriae praedictum remanet in anima ac si esset in corpore, & animal habens animam habituatam tali vitio luxuriae, & gulae, assimilatur porco. Ideo dixerunt philosophi praedicti, quod anima luxuriosi post mortem permutatur ad corpus porci, quia talis anima adhuc retinet, & reseruat mores vitiosos luxuriae, & gulae habituos, ac si esset in corpore porci, et anima separata a corpore superbi, qui similatur leoni, retinet mores superbiae ac si adhuc esset in corpore leonis. Et sicut dictum est de vitio luxuriae & superbiae, ita dicatur de aliis vitiis habituatibus, quae remanent in anima post mortem, & prohibent animam a sua perfectione & foelicitate ultima. Et sic patet qualiter intelligantur & exponantur dicta philosophorum, qui posuerunt fieri Altemasach. Patet etiam ex dictis Avicennae, et aliorum philosophorum ponentium Altemasach, ut supra dictum est, quod sicut habitus mali vitiosi remanent in anima separata a corpore, ac si adhuc talis anima esset in corpore, similiter dicendum quod habitus practici virtuosus remanent in anima in alia vita, ac si adhuc anima habituatibus virtutibus esset in corpore, & sicut remanent habitus virtuosus in anima virtuosa a corpore separata: ita concludendum, quod remaneant in anima praedicta habitus speculativi, & scientiae, ac si talis anima scientifica adhuc esset, in quo prius erat & per hoc confirmatur dictum **Sancti Hieronymi** videlicet: discamus in terris, ut scientia remaneant in coelis.

TEMPERATUM in calore & c. quod non est calidum, neque frigidum omnino supple sensibiliter. ET EST unum in intentione, quia sicut quodlibet extremorum contrariorum habet de per se intentionem unam, & est quodlibet illorum unum in intentione distinctum ab alio, similiter medium, & temperatum inter duo extrema contraria habet intentionem propriam, & est unum intentione. Qualiter autem virtus sit medium inter extrema, & qualiter ab homine virtuoso remota sunt omnia extrema vitiosa, contemplantes in scientia morali optimo declarant, quare illuc recurratur.

AB IMPEDIMENTO elongante scilicet a perfectione & a foelicitate, RATIONES vel adorationes divinae id est orationes vel adorationes quas homines faciunt Deo glorioso, & contemplationes de ipso Deo. AB HOC nocumento id est a qualitatibus corporeis sensitivis habituatibus in anima, & quae nocent, & prohibent animam a proprio fine, & a sua foelicitate.

DE ALMAHAD

ET ANIMAE quidem separatae a corpore habent ordines & c. Postquam Avicenna demonstravit, quod animae rationales remanent post mortem, & quod eis conveniat foelicitas aut cruciatus, hic consequenter declarat quod animae separatae a corpore habent in alia vita diversos ordines, & gradus praemissi, aut poenae secundum diversitatem meritorum, aut demeritorum ipsius animae & litera patet.

ET HUIUSMODI animae sunt in berzach id est in purgatorio, quod est inter ipsas animas id est quod purgatorium est medium inter animas praedictas noxias, quia antequam animae praedictae ascendant ad foelicitatem suam & antequam animae praedictae expolientur, & liberentur a qualitibus corporeis & habitibus malis impressis a corpore in animam, qui quidem habitus mali prohibent animas a consecutione, & adventu foelicitatis absolutae & absque mensura in gradu summo. Opertet ut tales animae praedictae permaneant in berzach praedicto, ut ipso mediante purgentur, & removeantur habitus mali vitiosi. Et quia animae praedictae dum erant in corpore propter occupationem in rebus et operationibus mundanis, non cognoscunt foelicitatem, quam praediximus, neque etiam cognoscunt seipsas esse vitiosae, & habituatas habitibus malis, sicut post separationem a corpore, Ideo post mortem tales animae non sunt occupatae in operationibus mundanis sicut prius erant in corpore, & incipiunt cognoscere foelicitatem, quam praediximus, & se privari a tali foelicitate propter qualitates malas impressas in anima a sensibus, & propter habitus vitiosos. Unde tales animae ex huiusmodi cognitione laeduntur, & cruciantur vehementer. Et quoniam tales habitus mali impressi in animabus praedictis non sunt substantiales vel essentielles ipsis animabus, & non sunt ita fixi, quod non possint removeri, ideo tales animae post tempus liberantur, & purgantur a qualitibus, & habitibus praedictis vitiosis, quare tunc ipsae animae non cruciantur ex cognitione vitiorum suorum & imperfectionis suae. Unde tandem animae praedictae liberatae a talibus habitibus vitiosis in fine rei proveniunt ad foelicitatem veram, quia ipsae in fine rei expoliatae, & purgatae ab illis habitibus vitiosis, impediuntibus veram foelicitatem, tandem consequuntur summum bonum, et veram foelicitatem. Dicunt Arabes quod sicut aurum ab igne purificatur, ita anima hominis in hac vita ex infirmitatibus et calamitatibus corpori purgatur, et pervenit in cognitionem suorum vitiorum, et in contritionem eorum, similiter animae separatae in purgatorio a suis vitiis et peccatis purgantur.

QUAEDAM autem sunt animae diminutae etc. In hac parte Avicenna ponit alium ordinem, et alium gradum animarum separatarum a corpore, et est tertius ordo seu tertius gradus, in quo sunt animae diminutae in scientiis speculativis, sed virtuosae viventes in actibus moralibus et innoxiae id est non operantes malum. Et istis animabus, dum erant in hac vita

Avicenna

corpori coniunctae, praedictum est, et affirmatum eis convenire, et eas posse habere foelicitatem veram, quam tales animae non curaverunt habere, immo spreverunt, et negaverunt eam foelicitatem a fide dignis manifestatam, et credere voverunt illud, quod non est verum. Et huiusmodi animae cum sua diminutione id est cognoscentes suam diminutionem, et imperfectionem, et cognoscentes, quod privatae sunt foelicitate vera, quam in hoc mundo noluerunt credere, propter hoc cruciantur poena aeterna. ET SUNT quaedam animae diminutae in habitibus speculativis, sed tamen innoxie etc. hic est quartus ordo animarum quae nullam habent scientiam, sunt tamen innoxiae, quae nullum malum fuerunt perpetratae, Quae quidem animae dum erant in hac vita non audierunt esse vel posse haberi aliquam perfectionem omnino.

QUAEDAM vero sunt animae diminutae hic est ordo quintus ordo animarum separatarum a corpore, in quo ordine sunt animae infantium, et dementium vel stolidorum a nativitate, quae nullam habuerunt cognitionem, neque scientiam, neque earum operationes fuerunt bonae, aut malae, et tales animae innocentes infantium et stolidorum non audierunt aliquid de foelicitate, neque habuerunt mentem dispositam ad appraehendendum, vel cognoscendum quod eis conveniat foelicitas, qua ipsae privantur: non enim complexio cerebri corporum suorum erat disposita, ut cogitativa, et virtus intellectiva aliquid intelligeret, et cognosceret aliquid de foelicitate et de his quae a prophetis dicta fuerunt.

ET HUIUSMODI quidem duae conditiones animarum id est Et isti duo ordines animarum immediate praedicti scilicet ordo quartus et ordo quintus animarum separatarum a corpore sic se habent, quod nulla anima istorum duorum ordinum separata a corpore consequitur foelicitatem absolute, aut poenam absolute, quia huiusmodi animae non cognoverunt, neque cognoscunt perfectiones ita, ut ad eas declinent, et eas desiderent advenire suis substantiis.

UNDE cruciantur ex diminutione illarum perfectionum id est unde cruciantur. tales animae infantium et stolidorum ex diminutione id est ex ignorantia illarum perfectionum, et ex privatione ipsarum, quia tales animae in hac vita nullam cognitionem habuerunt de perfectione, et de foelicitate, et separatae corpore remanent cum tali ignorantia, et privantur etiam illis perfectionibus. Cum igitur animae praedictae a corpore separatae cognoscant ignorantiam praedictam, et privationem perfectionum in seipsis existere, CRUCIANTUR sicut famelici a fame scilicet quando non cognoscunt cibos convenientes, et privantur cibis, quibus comedere possint.

NEQUE eas ledunt seu cruciant etc. In hac parte Avicenna dicit, quod animae praedictae ex ordine quarto et quinto non habent modum vel speciem cruciatus, et poenae, de quo supra dictum est scilicet quod animae quae in hoc mundo fuerunt

DE ALMAHAD

immersae in delectationibus sensibilium, & male habitatae desiderant similes delectationes in alia vita, & cruciantur ex privatione delectationum sensitivarum, quas desiderant. Dicit ergo hic Avicenna quod animae quarti ordinis, & animae infantium & stultorum, quum sint innoxiae, non sunt male habitatae ex actibus vitiosis et ex impressionibus sensuum delectabilium & qualitatibus naturalibus contrariis substantiae, & ideo tales animae in alia vita non desiderant delectationes sensuum, neque tristantur ex privatione ipsarum. Nota quod qualitates naturales id est qualitates sensibiles & impressiones sensuum delectabiles sunt contrariae substantiae animae, quia obtenebrant ipsam animam, & impediunt eam a speculatione & contemplatione divinorum, & a foelicitate.

ET ORDO quidem primus animarum & c. per haec verba Avicenna ponit differentiam inter ordinem quartum & ordinem quintum, quia dictum est, quod isti duo ordines animarum scilicet ordo quartus, & ordo quintus sic se habent, quod nulla anima istorum ordinum consequitur foelicitatem absolute, aut poenam absolute. Ideo in hac parte Avicenna ponit aliquam differentiam inter eas, quod ordo primus id est ordo primus istorum duorum praedictorum scilicet ordo quartus possibile est, quod habeat aliquam impressionem, seu aliquod vestigium seu partem foelicitatis secundum mensuram cognitionis de primo principio, quam habuerunt animae istius ab aliquo docente. si enim tales animae ex doctrina alicuius edoctae fuerint, & cognitionem aliquam habuerint de primo principio scilicet de Deo, tunc ipsae habent in alia vita aliquam foelicitatem parvam, aut minimam secundum mensuram cognitionis, quam habuerunt de Deo.

Aliter exponitur. Et ordo quidem primus. Id est animae primi ordinis, de quibus dictum est, quod sunt animae perfectae in habitibus, & scientiis speculativis, & in actibus moralibus, & sunt innoxiae, & quod tales animae habent foelicitatem absolute. Et licet huiusmodi animae habeant foelicitatem absolute ex hoc, quod sunt perfecta in scientiis speculativis, & in cognitione, divina, tamen quia una anima istius ordinis potest habere maiorem cognitionem de Deo, quam alia, et potest habere maiorem perfectionem in scientiis speculativis quam alia: Et quia mediantibus scientiis speculativis, et cognitione de Deo habita, et acquisita in hoc mundo animae disponuntur ad **recipiendum** unionem cum intelligentia prima secundum Avicennam dum erunt a corpore separatae, & disponuntur consequenter ad recipiendam cognitionem de Deo, & foelicitatem veram, ideo secundum quod una anima est magis scientifica, et magis disposita, et secundum mensuram cognitionis, quam anima in hoc mundo habuerit de Deo, habebit in alia vita vestigium et impressionem foelicitatis, si enim habuerit multam cognitionem de primo principio, habebit multum de foelicitate. Et si parvam habuerit cognitionem habebit parum de foelicitate.

Avicenna

ANIMAE vero diminutae in habitibus speculativis sed noxiae. In hac parte Avicenna declarat, quam poenam habebunt animae diminutae in scientiis speculativis scilicet animae ignorantium, quae fuerunt noxiae, & vitiosae viventes. Dicit ergo aut tales animae ignorantium vitiosae habuerunt cognitionem aliquam, quod eis conveniat perfectio aliqua absolute, & foelicitas, aut sunt vacuae ab huiusmodi cognitione. si primo modo, tunc tales animae ex hoc quod cognoscunt se privatas foelicitate, & praefectione praedicta, cruciantur poena aeterna. Si vero secundo modo scilicet quod animae sint vacuae a cognitione praedicta & sunt vitiosae, tunc cruciatus & poena ipsarum erit secundum qualitates vitiosas, & habitus vitiosos acquisitos in hoc mundo, & desiderant habere delectationes sensuum vitiosas, quas habebant in hoc mundo, & quia in alia vita privantur istis delectationibus. Ideo tristantur & cruciantur.

ILLUD vero quod attribuitur opinioni Alexandri, hic Avicenna respondet tacitae obiectioni, diceret enim quis, quod animae secundum opinionem Alexandri corrumpuntur, & non remanent post mortem, ergo non oportet investigare de poena & cruciatu animarum post mortem. Respondet Avicenna quod opinio Alexandri in hoc non est vera, neque de mente Aristoteles litera patet.

DIXERUNT quidam sapientes, quod animae bonae. Postquam Avicenna declaravit diversos ordines animarum separatarum a corpore, et gradus poenarum vel praemissi, seu gradus foelicitatis, aut poenae ipsarum, et postquam affirmavit opinionem Alexandri esse falsam. Consequenter in hac parte adducit opinionem quorundam sapientum, qui dixerunt, quod animae separatae a corpore acquirunt augmentum delectationum, & bonorum ex occurso vel ex associatione cum animabus perfectis & virtuosis: ita, quod anima separata a corpore in alia vita ex hoc, quod associatur & occurrit animabus perfectis scilicet cognoscendo & contemplando se esse in loco animarum perfectarum, & intuendo ipsas delectatur, & augetur ipsarum foelicitas, & delectatio. Ex contemplatione enim rei delectabilis causatur delectatio, quando ergo animae praedictae associantur cum animabus perfectis, tunc contemplantur non solum delectationem propriam, sed etiam delectationem & perfectionem aliarum animarum perfectarum, quare ex talia associatione augetur delectatio ipsarum. Animae vero vitiosae se habent opposito modo, sicut enim ex consideratione rei delectabilis causatur delectatio, Ita ex consideratione rerum tristium, & cruciatus, & poenarum causatur tristitia, & passio poenalis. Animae igitur vitiosae, quia associantur cum vitiosis, ideo non solum considerant poenam, & cruciatus proprios, sed etiam poenas, & cruciatus aliarum animarum vitiosarum. Animae igitur virtuosae, quando coniunguntur & associantur cum animabus virtuosis perfectis, delectantur vehementer cum eis, sed anima vitiosae quando associantur cum animabus vitiosis, consequuntur contrarium scilicet poenam, & tristitiam, quae poena est illis infinita. Et unaquaeque anima coniungitur & associatur cum re sibi simili id est cum animabus

DE ALMAHAD

sibi similibus in qualitate, & habitu, quae quidem coniunctio et associatio seu occursus est intellectualis. Quando igitur anima perfecta virtuosa coniungitur, & associatur cum intellectu animabus brutis: & perfectis id est quando anima bona perfecta intelligit alias animas perfectas, & delectationem ipsarum, delectatur, similiter quando anima vitiosa coniungitur & associatur cum intellectu animabus vitiosis, tunc intelligendo poenam imperfectionem ipsarum, & imperfectionem, & vitia propria, tristatur & cruciatur vehementer.

ET UNAQUAEQUE anima rationalis. Avicenna hic declarat quod animae separatae a corpore sive sint perfectae virtuosae, sive vitiosae coniunguntur cum aliis animabus coniunctione intellectuali, ut dictum est, quia unaquaeque anima intelligit essentiam suam, & intelligit illud, quod est simile suae essentiae, quae quidem cognitio continue magis, ac magis augetur, quia continue magis, & magis purificatur ab impressionibus sensibilium, quae impediunt perfectam, cognitionem: Cum igitur ita sit, sequitur quod animae virtuosae cognoscendo essentiam suam, & essentiam aliarum animarum virtuosarum consequuntur augmentum delectationum. Et similiter animae vitiosae cognoscendo essentiam suam, & essentiam animarum vitiosarum, consequuntur tristitiam vehementem. Sed quod unaquaeque anima rationalis intelligat essentiam suam & c. Declarat Avicenna dicendo. Nonne vides vel nonne est concedendum, quod ipsae animae praedictae intelligunt principium intellectuale id est primam intelligentiam, quae est causa ipsius, & suum principium? quasi dicat, sic. quia animae vitiosae, licet priventur visione divina, ut dictum est, tamen intelligunt quod Deus, & prima intelligentia sit suum principium. Si ergo animae vitiosae intelligunt primam intelligentiam. Et si non conceditur, quod animae vitiosae non intelligant non est negandum in anima perfecta. Si ergo anima perfecta virtuosa intelligit primam intelligentiam & Deum, multo magis poterit intelligere essentiam suam, & intelligere illud, quod est simile suae essentiae.

ET QUIDAM alii sapientes dixerunt quod via Altenasach & c. Haec est alia opinio sapientum, qui dixerunt, quod licet via Altenasach de Mahad circa dispositionem animae separatae a corpore sit impossibilis, & falsa intelligendo ipsam, ut verba sonant, sicut supra demonstratum est, & tu ibi recurre, tamen ex eis, quae sunt possibilia non prohibita in hac positione Altenasach est, quod quaedam animae separatae continuantur cum quibusdam animabus in corpore existentibus, imprimendo in eis bonum, & malum, et rationem huius opinionis assignat Avicenna. Et est sciendum, quod ista opinio non ponit omnes animas indifferenter uniri, & continuari, ut dictum est, sed solum dixit quaedam animae puta animae diminutae in scientiis, et immersa, et habituatae solum in rebus sensibilibus. Animae vero virtuosae, et scientificae post separationem a corpore uniuntur cum primo principio

Avicenna

scilicet cum Deo. Sed antequam addveamus rationem opinionis praedicta dicamus differentiam inter opinionem Altenasach, ut verba sonant, et inter istam opinionem. Opinio quidem Altenasach ponit, quod animae post mortem transmutentur de corpore in corpus realiter. Et quam primum moritur homo aliquis, tunc in eodem instanti anima separata a corpore illius hominis transmutatur in aliud corpus de novo, et est forma substantialis corporis noviter geniti, et est principium operationum in tali corpore, sicut erat in priori corpore. Et talis anima post separationem ab isto corpore similiter transmutatur in aliud corpus de novo dans esse, et vivere illi, et sic successivae in alia corpora. quae opinio sic absolute loquendo est impossibilis, ut supra cap. 3. declaratum est. Sed opinio sapientum, de qua loquitur hic Avicenna, vult quod via Altenasach intellecta, ut supra dictum est, sit impossibilis, et falsa, tamen intelligendo Altenasach, ut intelligit ista opinio, concedendum est fieri Altenasach secundum istos sapientes, unde Altenasach ut est supra dictum, est vocabulum Arabicum et importat permutationem de re una ad aliam. Et quia anima secundum opinionem praedictam erroneam permutatur de corpore ad corpus successive **das** esse substantiale, et vivere unicuique illorum corporum, ideo talis opinio denominatur via seu opinio Altenasach. Similiter quia opinio ista, de qua hic loquitur Avicenna, tenet, quod anima separata a corpore continuatur postea: et unitur cum anima alia informante aliud corpus complexionatum complexionem simili, qua corpus primum, a quo anima est separata fuit complexionatum, Exempli gratia **Socrates** nunc moritur, & anima eius separata unitur cum anima **Platonis** habentis corpus complexionatum, sicut erat corpus **Socratis**, & sic successive continuatur cum anima, & corpore alterius hominis habentis complexionem: sicut fuit complexio **Socratis**, & **Platonis**. Non tomen vult ista opinio, quod anima **Socratis** licet uniatur cum anima **Platonis** aut alterius imprimendo in ea bonum, aut malum, sit forma substantialis **Platonis**, aut alterius: & det esse illi, aut alteri homini, cui uniatur. Patet igitur ex hac **opinionem** quod anima separata a corpore **Socratis** unitur postea, & continuatur cum anima **Platonis**, & post mortem **Platonis** cum anima alterius hominis habentis complexionem similem corpori, quod fuit **Socratis**, & **Platonis**. Et per consequens talis anima **Socratis** permutatur de corpore ad corpus continuando se cum una anima merito complexionis corporis, quam informat, & postea cum alia anima in alio corpore existenti, ut dictum est, & sic secundum hanc opinionem conceditur fieri Altenasach non eo modo, quem tenet opinio erronea, sed secundum modum praedictum in hac opinione sapientum. Et ex praedictis patet qualiter ista opinio differat ab opinione Altenasach erronea supradicta, quae tenet quod anima dat esse unicuique corpori, ad quod permutatur, & est forma substantialis illius, sed ista opinio non tenet hoc, sed solum quod anima **Socratis** exempli gratia separata

DE ALMAHAD

a corpore **Socratis** continuatur, & unitur cum anima **Platonis**, & a postea cum alia anima non dando esse substantiale **Platoni**, sed solum assistendo corpori **Platonis** propter conformitatem complexionis corporis cum complexione **Socratis**, & imprimendo bonum, aut malum in anima **Platonis**, & in ipso **Platone**, aut in anima alia existente in alio corpore complexionato sicut erat corpus **Socratis**. Istis praemissis assignatur ratio istius opinionis scilicet quod quaedam animae separatae a corpore continuantur cum quibusdam animabus imprimendo in eis bonum vel malum, quoniam sicut anima **Socratis** emanata est ab intelligentia, & infusa in corpore **Socratis** complexionato complexione convenienti pro anima **Socratis** praedicta, & propter convenientiam inter animam **Socratis**, & complexionem corporis ipsius anima **Socratis** praedicta inclinationem & colligantiam habebat cum corpore **Socratis** in hac vita, Similiter si contingat sicut est possibile, quod accidat complexio in aliquo corpore humano noviter generato similis, vel proxima complexioni, quae fuit in corpore **Socratis**, tunc sicut anima **Socratis** in hac vita propter convenientiam complexionis corporis ipsius **Socratis**, & proportionem, quae erat inter animam **Socratis**, & corpus ipsius, anima **Socratis** praedicta dependentiam sive colligantiam habebat cum corpore ipsius **Socratis** in hac vita, ita talis anima **Socratis** posito quod fuerit diminuta in scientiis & habituata solum in sensibilibus habebit dependentiam seu colligantiam aliquam cum anima existente in corpore habente complexionem similem complexioni corporis **Socratis**, a quo corpore anima **Socratis** fuit separata.

PROPTER causam quae erat in corpore primo a quo fuit separata id est & anima puta **Socratis** dependebat id est colligantiam, & inclinationem habebat cum corpore **Socratis**, propter causam id est propter convenientiam & proportionem, quae erat inter talem animam, & inter complexionem corporis **Socratis**, a quo est separata: Similiter talis anima **Socratis** separata habebit dependentiam seu colligantiam cum corpore **Platonis**, aut alterius habentis complexionem similem complexioni corporis **Socratis**, sicut enim propter complexionem erat convenientia inter animam **Socratis**: & inter corpus ipsius, & corrupta tali complexione separatur anima ab illo corpore, ita propter similem complexionem in corpore **Platonis**, aut alterius erit convenientia inter animam **Socratis**, & inter corpus **Platonis**, propter quam convenientiam anima **Socratis** continuatur, & dependentiam habet seu colligantiam cum anima **Platonis**, & cum corpore ipsius imprimendo bonum aut malum ut infra declarabitur. Et licet anima **Socratis** separata habeat dependentiam aliquam cum anima **Platonis**, & cum corpore ipsius, ut dictum est, tamen impossibile est quod talis anima **Socratis** habeat totalem dependentiam cum corpore **Platonis**, sicut prius habebat cum corpore **Socratis**.

Avicenna

PROPTER causas praedictas id est propter eandem convenientiam & proportionem inter animam & complexionem, quia licet sit similis non tamen eadem praecise, si enim esset eadem convenientia. & eadem dependentia totalis cum corpore & anima **Platonis**, sicut prius erat cum corpore **Socratis**, tunc sicut anima **Socratis**¹⁰ erat forma substantialis corporis **Socratis**, ita etiam esset forma substantialis corporis **Platonis**, & sic in corpore uno scilicet **Platonis** essent duae animae dantes ei esse tanquam duae formae substantiales, quod est impossibile. Quare anima **Socratis** separata a corpore, habebit dependentiam cum corpore alio similiter complexionato puta cum corpore **Platonis**, quae dependentia erit infra dependentiam totalem, quam habebat cum corpore **Socratis**, & talis dependentia erit solum spiritualis. Quare cum anima **Socratis** non habeat colligantiam & dependentiam cum anima & corpore **Platonis** similiter complexinati, sequitur quod anima **Socratis** separata non unitur cum anima **Platonis**, & cum corpore praedicto ipsius, nisi continuatione spirituali, quare in anima **Platonis** mediante tali unione spirituali cum anima **Socratis** augebitur bonitas, aut malitia, secundum quod anima **Socratis** erit bona aut mala, Si enim anima **Socratis** fuerit bona, tunc ex coniunctione spirituali praedicta imprimetur, & augebitur ab ea bonitas in animam **Platonis**, si vero fuerit mala, imprimetur malitia. Et ex tali coniunctione & unione animae **Socratis** cum anima **Platonis** viventis, augebitur bonitas, et malitia, & species appetitus boni, aut mali, & mores boni, aut mali in anima **Platonis** viventis secundum quod anima **Socratis** fuerit bene aut male habituata in moribus & vitiis. Et sicut dictum est de anima **Socratis** separata respectu **Platonis**, ita dicatur de quacunque anima separata respectu aliarum animarum in corpore existentium. Et est ulterius sciendum de mente Avicennae, ut habetur in lib. Arabico qui dicitur arbor philosophiae, quod si anima **Socratis** exempli gratia viniatur propter causam dictum cum anima **Platonis** viventis, tunc si anima **Socratis** fuerit virtuosa, & Plato fuerit malus vitiosus, dicitur, quod malitia **Platonis** ex unione praedicta minorabitur ab anima **Socratis**, si vero **Plato** fuerit bonus, & anima **Socratis** fuerit vitiosa, tunc minorabitur bonitas in **Platone**, & augebitur malitia, & vitium ab anima **Socratis** vitiosa. Patet igitur ex praedictis qualiter secundum opinionem istorum sapientum, quaedam animae separatae continentur cum animabus quibusdam in corporibus existentium, & qualiter permutentur spiritualiter de corpore ad corpus similiter complexionatum. Et si quaeratur utrum secundum hanc opinionem talis continuatio & permutatio animarum sit successive semper perseverans, dicendum quod animae perfecte virtuosae, & perfectae in scientiis separatae a corpore, uniuntur cum intelligentia prima, & non retinentur in hoc mundo, neque continentur cum animabus in corpore existentibus, ut dictum est. Anima vero non perfectae in scientiis, aut dato quod sint perfectae

¹⁰ این سقراط و افلاطون ها الکی است. خیلی وقت است که الکی است.

DE ALMAHAD

aliqua in scientiss, tamen vitiosae aut ignorantes continuantur cum animabus in corpore existentibus continuatione spirituali, donec perficiantur, & postea separantur, a uniuntur cum prima intelligentia, & consequuntur foelicitatem.

DIXERUNT quidam ex istis, quod virtus cogitativa & c id est quidam eorum, quod tenent hanc opinionem **praedictam**: quod quaedam animae **habituatae** circa sensibilia continuantur cum quibusdam animabus, & aliquo modo concedunt fieri Altenasach, dixerunt quod virtus cogitativa animae intellectivae separatur a materia mediante corruptione corporis, & mediante separatione animae rationalis a corpore. Et tunc ipsa virtus cogitativa ex hoc appraehendit & cognoscit omnes intentiones existentes in mundo sensibili, & naturali, & non appraehendit intentiones intelligibiles separatas scilicet a materia & a sensibilibus & c. Pro declaratione eorum quae dicuntur ab istis, sciendum, quod isti, qui dixerunt quod virtus cogitativa separatur & c. tenent, quod sensus exteriores sunt omnino corporei, organici: neque ipsorum operationes fieri possunt absque organo corporali, sensus vero interiores, licet secundum plurimum operentur mediante cerebro, dum anima est in corpore, non tamen virtutes huiusmodi interiores scilicet imaginativa, cogitativa, & memorativa sunt totaliter organicae semper exigentes organum corporeum in suis operationibus. Quare sicut virtus animae intellectivae: dum est in corpore, quandoque indiget corpore, & phantasmatis in intellectione, & quandoque non indiget, sicut in cognitione habita de rebus abstractis a sensibus, & a materia. Eodem modo virtutes praedictae scilicet virtus cogitativa imaginativa & c. quandoque indigent corpore, & quandoque non, sicut patet in somniis, & in melancolicis, in quibus virtus cogitativa maxime viget, & ab eis multa praevidentur, & imaginantur, quae non fuerunt a sensibus exterioribus sensata, neque amplius imaginata. Et patet quod in dormientibus sensus sunt ligati, & in melancolicis, & infreneticis complexio cerebri est male disposita pro operationibus istarum virtutum, quare huiusmodi virtutes tunc non utuntur organo. Et ex hoc tenent isti, quod sicut virtus intellectiva remanet in anima separata, ita etiam virtus imaginativa, et cogitativa, et desiderativa, & momorativa, sed virtus visiva, & olfativa, & sic de aliis, quae indigent omnino organo, non remanent in anima separata a corpore, sicut igitur virtutes praedictae scilicet imaginativa, et cogitativa, & desiderativa in hoc mundo non percipiunt nisi intentiones sensibilibus, dum anima est corpori unita, & non percipiunt intentiones universales, et intentiones rerum abstractarum a materia intelligibiles, quia hoc pertinet ad virtutem intellectivam, similiter in anima separata a corpore remanent virtutes praedictae, et virtus intellectiva. Et quia sunt quidam homines in hac vita non immersi in delectationibus sensibilibus mundanis, sed abstinentes ab eis, et a vitis, et solum vacantes contemplationibus et scientiis, ideo isti homines

Avicenna

sic se habent, quod ipsi sunt remoti et abstracti a sensibus, et virtutes sensibiles et appetitivae sensibiles sunt sopitae, et solum in eis est virtus intellectiva ex continua contemplatione intellectus circa ea, quae sunt abstracta a sensibus. Aliqui vero reperiuntur homines in hac vita, qui adeo sunt immersi et habituati in sensibilibus, quod virtus eorum intellectiva est sopita, quia tales homines ignorantes occupantur solum circa sensibilia. Et ideo anima rationalis in istis hominibus licet habeat virtutem intellectivam. & virtutes sensitivas interiores, & exteriores, tamen actu non utitur virtute intellectiva, quae est apta intelligere res abstractas a materia, et a sensu, sed solum utitur virtutibus sensitivis interioribus, & exterioribus, quia ipsa solum occupatur circa sensibilia naturalia in hoc mundo. Et quanto magis anima occupatur circa sensibilia, tanto magis elongatur a cognitione Dei, & substantiarum abstractarum. Et econtra quanto magis anima rationalis in hac vita occupatur in contemplatione, & cognitione substantiarum abstractarum, tanto elongatur ab istis sensibilibus mundanis. Animae igitur in hoc mundo secundum actus quos frequenter exercent, habituantur. Et propter hoc animae, quae in hoc mundo fuerunt virtuosae, & occupatae in scientiis & contemplationibus Dei; & angelorum, & remotae ab istis sensibilibus ac si non essent quasi in hoc mundo, dum sunt separatae a corpore habent eundem habitum, quem prius habebant in hoc mundo. Et per consequens sicut tales animae in hac vita erant elongatae a sensibilibus mundanis ac si essent extra mundum inferiorem occupatae in contemplatione substantiarum abstractarum. Eodem modo post separationem a corpore huiusmodi animae praedictae sunt elongatae multo plus quam prius ab hoc mundo, & sunt continuatae secundum virtutem intellectivam cum substantia divina, & aliis substantiis abstractis, & fruuntur vera foelicitate. Similiter animae hominum qui fuerunt toto tempore vitae suae occupati circa sensibilia et remoti a contemplatione Dei, et eorum, quae abstrahunt a materia et a sensibilibus post separationem a corporibus suis conseruant eundem habitum, quem prius habebant in hoc mundo, et per consequens quia tales animae sunt habituatae circa sensibilia mundana. Ideo tales animae separatae a corpore sunt elongatae, et indisposite ad intelligendum immaterialia et substantias abstractas in alia vita propter habitum ipsarum circa sensibilia, et materialia, quae infinitae distant ab insensibilibus et immaterialibus substantiis. Et licet quaelibet anima rationalis sive sit ignorans, sive perfecta scientiis ultra virtutes sensitivas habeat virtutem intellectivam, tamen sicut in hominibus continentibus, virtuosis sapientibus ad hoc mundo elongatis viget virtus intellectiva ex hoc, quod actus eius frequentantur et sopita est virtus sensitiva ex hoc, quod tales homines abstracti sunt a sensationibus, et ab actibus delectabilibus. Eodem modo in hominibus immersis et habituatis in delectationibus sensibilibus et elongatis a

Margin: Dixerunt quidam philosophi quod foelicitas consistit consideratione mortis id est sicut anima in morte separatur a corpore et ab his sensibilibus: ita vera foelicitas in hoc mundo est consideratio rerum abstractarum ab hoc mundo et rebus sensibilibus. Unde ex huiusmodi consideratione anima abstractam ac si esset a corpore separata, quia solum considerat res divinas & intelligentias.

DE ALMAHAD

cognitione eorum, quae abstrahunt a materia, & sensu virtus intellectiva est sopita, ex hoc, quod non exivit in actum intelligendi universalialia, & substantias abstractas. Et virtutes sensitivae vigent ex frequentatis actibus circa sensibilia, unde animae istorum habituatae circa sensibilia & immersae in rebus mundanis servant post separationem a corpore talem habitum. Et per consequens animae istorum in hac vita habuerunt virtutem intellectivam sopitam, et fuerunt elongatae ab ipso Deo, et a cognitione ipsius ita et post mortem in alia vita habent virtutem intellectivam indispositam ad cognitionem rerum divinarum propter habitum circa res mundanas, et sunt elongatae a cognitione divina. Et sicut animae istorum hominum in hac vita fuerunt occupatae et immersae, et habituatae tantum circa sensibilia ex hoc, quod virtutes sensitivae solum fuerunt in actu frequenter circa sensibilia. Ita et post mortem istae animae ipsorum erunt elongatae ab essentia divina, et a cognitione sua, et erunt secundum virtutes sensitivas immersae in rebus mundanis, et rebus sensibilibus. Et quia dictum est supra, quod virtus sensitiva exterior est totaliter organica, quia non fieri potest ipsius operatio absque organo corporeo. Virtus autem sensitiva interior puta imaginativa et cogitativa et desiderativa et memorativa non est totaliter corporea, quia aliquando fieri potest operatio ipsarum absque organo, ut supra declaratum est. Ideo animae habituatae circa mundana sensibilia post separationem a corpore erunt occupatae et immersae circa sensibilia non secundum virtutes sensitivas exteriores, quia tales in anima non remanent corrupto corpore sed secundum virtutes sensitivas interiores, quae remanent in anima post mortem, ut dictum est, et quae appraehendunt et cognoscunt sensibilia in particulari solum, et non in universali. Virtus igitur istarum animarum cogitativa et desiderativa, quae propter corporis corruptionem et separationem animae rationalis a corpore separatur etiam ipsa a materia, sicut separatur virtus intellectiva, non appraehendit intentiones intelligibiles separatas id est intentiones universales et intentioes substantiarum abstractarum a materia, et non appraehendit nisi intentiones rerum sensibilibus naturalium in hoc mundo. Ex quibus patet, quod animae eorum, qui in hoc mundo fuerunt immersi et occupati tantum circa sensibilia, post separationem a corpore remanebunt cum tali habitu, et non appraehendent, neque cognoscent Deum, neque substantias abstractas, cum virtus ipsarum intellectiva sit ad hoc in disposita, et elongata a cognitione divinorum, sicut prius erant in hac vita. Et cognoscent animae praedictae solum haec inferiora sensibilia propter habitum acquisitum circa occupationem huiusmodi sensibilibus mediante virtute imaginativa: cogitativa, et desiderativa, quae quidem virtutes maxime vigent in istis animabus ante separationem a corpore, et post separationem ipsarum ab eo. Et propter hoc animae praedictae post separationem dictam non cognoscent nisi haec inferiora particularia sensibilia mediante

Avicenna

virtute cogintiva vel imaginativa: quae virtutes ut supra dictum est remanent in anima post mortem hominis, & non appraehendunt vel non cognoscunt nisi particularia inferiora, & intentiones omnes existentes in mundo naturali sensibili, & non appraehendunt intentiones universales, quia virtus intellectiva quae est apta intelligere has intentiones universales est sopita, & elongata ab istis intentionibus propter habitum, & occupationem circa particularia sensibilia mundana. Quia igitur tales animae elongatae a Deo & a cognitione substantiarum abstractarum sunt habituatae, & immersae in istis rebus mundanis sensibilibus. Ideo mundus istae inferior sensibilibus efficitur tanquam corpus ipsis animabus praedictis, quoniam tales animae retinentur in hoc mundo mediante virtute cogintiva vel imaginativa, quae propter habitum malum acquisitum in hac vita non considerant neque cognoscunt nisi haec inferiora: & propter habitum praedictum sunt elongatae a Deo, & a rebus abstractis ab hoc mundo. Ideo tales animae non pertranseunt cum cognitione sua ad superiorem mundum, sed permanent, & retinentur in hoc mundo inferiori, & tales animae mediante cogintiva praedicta cognoscunt omnes causas particulares istorum inferiorum. Omnia enim haec inferiora sunt sibi praesentia, & nihil prohibet quod magis cognoscat aliquas causas particulares, quam alias: ita, quod nihil est tunc, quod prohibeat cognitionem aliquarum causarum particularium. Si igitur cognoscunt omnes causas particulares istorum inferiorum, sequitur, quod cognoscunt etiam motus particulares causantes haec inferiora futura, quare tales animae cognoscunt, & praevident futura. quare anima in corpore existens coniuncta cum aliqua istarum animarum separatarum acquirit ab ea cognitionem futurorum. Alia litera habet quare anima corporea vel quae fuit in corpore vel quae fuit immersa in rebus corporeis sensibilibus, dum est separata a corpore, & est coniuncta cum ea scilicet virtute cogintiva praedicta, acquirit cognitionem futurorum. Et dixerunt illi qui tenent opinionem praedictam, quod ex animabus praedictis separatis a corpore: illae, quae sunt malignae tunc post separationem a corpore suo sunt magis operantes omne malum sibi possibile, quoniam cum ipsae sint egressae a corpore & a materia impediante suo motu & sua mutatione, tunc sunt libere, & remanent secundum unam dispositionem, & secundum unam semitam in voluntate sua: quare si tales animae sunt malignae imprimunt malitiam, & operantur malum, si vero bonae, operantur bonum. Et omnes isti affirmant, quod animae praedictae, quae fuerunt malae, sunt diaboli, & demones. Quae vero fuerunt bonae in hoc ordine, & fuerunt diminutae in scientiis, ita, quod fuerunt ignorantes, nominantur **gen**. Et **gen** apud Arabes idem est quod spiritus domestici, qui apud vulgares Venetos dicuntur mazaroli. Et tenentes opinionem praedictam dixerunt quod **gen** id est spiritus domestici, & **sathan** id est diaboli seu demones habent dependentiam, & communitatem aut continuationem cum hominibus

DE ALMAHAD

in hoc mundo inferiori. Et quod ab operationibus spiritualibus istorum spirituum, bonorum & malorum fiunt operationes naturales. Et dixerunt, quod substantiae separatae a materia sicut sunt angeli, & diaboli, & animae, maiorem habere virtutem ad exitum de potentia ad actum, vel ad exitum ad actum convenientem, & conformem qualitati, & habitui ipsarum, sive mali, aut boni fuerint. Si enim habitus fuerint mali, citius operantur malum. Et si habitus fuerint boni, citius operantur actualiter bonum, & habent maiorem virtutem ad operandum id, quod est conforme habitui suo, & voluntati suae, quam si tales animae essent in corpore. Ex quibus patet, qualiter homines vexentur a demonibus, & a spiritibus domesticis praedictis, quia secundum hanc opinionem animae ignorantium, & sapientum vitiosorum qui in hoc mundo tantum fuerunt occupati circa sensibilia mundanae si fuerint bonae, aut malae retinentur in hoc mundo inferiori, ut dictum est, & continuantur cum hominibus. & illae animae quae fuerunt habituatae habitibus malis: operantur malum, & habituatae bonis habitibus operantur bonum: dictum est enim, quod ab operationibus spiritualibus id est a virtutibus spiritualibus non corporeis proveniunt operationes naturales sensibiles, tales enim animae separatae sunt virtutes spirituales, quae cum non habeant prohibens, & cognoscant omnes causas, & omnes motus particulares, & per consequens effectus futuros, maiorem habent potentiam, & facilius exeunt ad actum operandi, quam virtus in corpore existens. Ideo non est mirandum, si homines in hoc mundo vident effectus naturales sensibiles causatos ab istis spiritibus, & demonibus, quos effectus virtus in corpore non potest efficere. Et ideo videmus in experientia strepitus, & mutationes corporum fieri de loco ad locum, & alias mutationes praeter mutationes substantiales fieri a spiritibus, & demonibus praedictis notanter dixi praeter mutationes substantiales, quia theologi, & philosophi tenent quod licet fiant diversae mutationes localiter & accidentales ab istis spiritibus, non tamen mutatio substantialis, puta transmutatio de specie in speciem & de individuo ad individuum eius speciei, potest fieri a demonibus, & a spiritibus. Patet etiam qualiter spiritus, & demones vexant corpora hominum inducendo accidentia mala in eis, & intrando corpus ipsorum, & quare tales homines vexati spiritibus loquuntur variis linguis, & vario idiomate, & praedicunt futura. & narrant: quae nunquam viderunt, & loquuntur in scientiis latino sermone, quas nunquam didicerunt, quae omnia causantur secundum opinionem praedictam ab animabus separatis a corpore habituata circa sensibilia, & continuatis cum hominibus, & cum anima ipsorum, ut supra dictum est. Si enim aliqua animarum praedictarum se paratarum a corpore habituata fuerit in aliquo ydiomate¹¹, & multum unita fuerit cum aliquo homine, tunc talis homo loquitur illo ydiomate, & ydiomate proprio, & sic loquitur variis linguis. Si vero anima praedicta fuerit

Avicenna

habitua in sermone latino, aut aliqua conclusione alicuius scientiae, & unita fuerit in alio homine ignoranti, tunc ille homo ignorans loquitur latine, & declarat conclusiones in scientia, quas non didicit. Et quia tale animae separatae secundum hanc opinionem cognoscunt praeterita, & futura, ut dictum est, ideo non est mirum, si homines vexati a spiritibus, qui secundum opinionem istam praedictam sunt animae a corpore separatae retente in hoc mundo, tales dico homines vexati a spiritibus praedicunt futura, quia animae praedictae separatae a corpore cognoscunt causas, & motus particulares, & per consequens effectus earum venturos: quare tales animae separatae unitae cum anima hominum vexatorum a spiritibus imprimunt in ea cognitionem futurorum: & propter hanc unionem multi homines praedicunt futura, & aliqui non praedicunt, neque cognoscunt ex hoc, quod non habent unionem cum anima separata, quae imprimat talem cognitionem futurorum. Et ex his patet etiam qualiter secundum Avicennam prima **fen** tertii: melancolia, quae est aegritudo cerebri, possit causari demonio, & Avicenna ibi appellat demonium **gen**, quia ex continuatione alicuius animae separatae cum corpore vivente imprimuntur ab illa anima separata diversae imaginationes extraneae, & diversae cognitiones. Unde talis homo efficitur patiens melancoliam, & accidentiam melancoliae praedictae, & cum hoc aliquando talis homo praedicit futura, & narrat praeterita. Et sicut secundum Avicennam aliquis est patiens melancolicam aegritudinem a demonio, & vexatur a demonio, & a spiritu, ita secundum aliquos auctores Arabicos, qui scripserunt in philosophia, & in medicina possibile est quod aliquis sit **epilenticus**¹² a demonio, quia ex impressione phantasmatum a demonio praedicto unito cum corpore vivente **discragiatur** cerebrum, & opilatur & causatur epilepsia **paroxysmaliter** secundum magis, & minus, secundum quod a demonio vel ab anima separata imprimuntur in illo epilentico passiones secundum magis & minus. Et secundum opinionem praedictam patet qualiter vexentur homines a demonio. Et quod spiritus domestici nominati vulgariter Venetiis mazaroli sunt animae a corpore separatae non male habitatae retentae in hoc mundo, ut supra dictum est, et quod diaboli, & demones sunt spiritus mali: a quibus multas operationes mirabiles experientia homines causari affirmant. Et licet secundum hanc opinionem ita sit, tamen secundum theologos Christianos: & secundum veritatem: spiritus boni et non boni a quibus proveniunt operationes praedictae non sunt animae separatae a corpore vagantes in hoc mundo inferiori, ut dictum est, secundum quod multi & **heretici** tam Christiani, quam non Christiani tenent hodiernis temporibus: quia **scriptum** est **iustorum** animae in manu Dei sunt, & animae malorum detinentur in inferno, aut purgatorio, sed tales spiritus sunt substantiae spirituales immateriales distinctae & diversae a quacunque anima intellectiva. Sed dubium est qualiter magici possint cogere spiritus,

DE ALMAHAD

& demones, qui sunt substantiae intellectuales digniores, quam sit anima intellectiva hominis. Respondetur breviter, quod tales spiritus sive sint digniores, quam anima intellectivam, & quam homo, sive non sint, possunt cogi ab hominibus magicis virtute verborum vel nominum divinorum, quae ab ipsis magicis proferuntur, & virtute etiam figurarum, quae fiunt sub influentia coelesti. Unde tam virtute coelesti impressa quam virtute verborum praedictorum spiritus praedicti coguntur, a magicis ad multas operationes naturales vel sensibiles exercendas. Et verba illa divina sunt occulta, & fuerunt revelata, & similiter nomina divina vocabulis incognitis. Et huiusmodi verba & nomina, quibus magici utuntur in quocunque idiomate tam Greco, quam Arabico, quam Latino, & sic de aliis sunt nomina inusitata, quorum interpretaatio ignoratur. Quidam autem dixerunt sicut **algazel**, quod aliquae sunt animae, quae habent virtutem imperandi non solum istis inferioribus, sed etiam spiritibus, & hanc virtutem habent a Deo glorioso, & ab influxu coelesti. Et sicut non est mirum, quod aliquis homo vilis et famulus virtute, et voluntate regis civitatis cogat, et imperet virtute et nomine regis: ita, ut principes civitatis cogantur obedire illi famulo non ratione famuli, sed ratione, et virtute, ac nomine regis, cuius nomine, et virtute famulus ille imperat primatibus praedictis, et non virtute propria, quia illi primates non moverentur, neque cogentur virtute famuli illius per se. Eodem modo licet spiritus sint substantiae immateriales, et digniores et digniorem gradum obtinentes, quam homo, tamen tales spiritus: et diaboli coguntur a magicis non virtute propria ipsorum magorum, sed virtute divina, et nomine divino, cui omnes spiritus subiacent, et obediunt. Ideo bene scriptum est. In nomine **Iesu** omne, genu flectatur terrestrium, coelestium, et infernorum. Et sicut primates civitatis non coguntur a famulo imperante nomine regis, et virtute regis, nisi sciant famulum illum habere talem virtutem a rege. Eodem modo spiritus non moventur, neque coguntur a quocunque homine imperante ipsis spiritibus nomine Dei, aut virtute Dei, sed solum coguntur, et moventur ab illis, hominibus magicis, quos sciunt habere talem virtutem imperandi a Deo glorioso. Sicut ergo primates civitates praedicti non obediunt, neque coguntur a famulo per se, sed a rege per se: et a famulo per accidens. Ita spiritus non obediunt, neque coguntur a magicis per se, sed a virtute divina per se coguntur, et per accidens coguntur ab hominibus magicis.

Redeundo ad propositum: animae separatae a corpore secundum opinionem praedictam supra sunt egressae a materia, et a corpore impediendi motu suo, quia corpus, et materia corporea impeditur in omnibus suis motibus propter resistantiam corporum aliorum, quae illi occurrunt, et resistunt, Unde ex tali resistantia operationes corporum non fiunt nisi in tempore, et cum difficultate, et anima intellectiva coniuncta corpori, et materiae indiget

AVICENNA

phantasinatibus, & sensibus diversis, & motibus diversis pro cognitione sua. Sed quando anima est egressa a materia, nihil ei occurrit, & obviat vel impedit in suis operationibus. Et ideo sunt magis operantes: & habent maiorem virtutem operandi operationes diversas a nobis sensibiles, quam dum erant coniunctae cum corpore: Quare cum nihil impediat operationes suae, & nihil impediat etiam cognitionem suam, ex quo omnia sunt eis praesentia, ideo tales animae semper remanent secundum unam semitam, & secundum unam dispositionem. Quare si tales animae fuerint malae semper operabuntur malum, si vero bonae operabuntur bonum. Litera patet ex praedictis.

ET SAPIENTES quidem conveniunt & affirmant. Ratio huius est, quia animae perfectae in scientiis, quia ex habitu acquisito in hoc mundo sunt elongatae ab hoc mundo inferiori occupatae circa contemplationem divinarum: Ideo ex tali habitu, & quia etiam sunt innoxiae post separationem a corpore, fruuntur divina cognitione, & sunt elongatae a cognitione istorum inferiorum.

ET QUIDAM sapientes dixerunt. hic ponit aliam opinionem quod animae perfectae praedictae & innoxiae separatae a corpore habebunt cognitionem istorum inferiorum: propterea, quod in substantia animarum praedictarum, & aliarum animarum, quae non sunt perfectae, neque innoxiae, remanet virtus cogitativa, & imaginativa simul cum virtute intellectiva, quare tales animae cum omnino non possint expoliaria qualitatibus, seu impressionibus sensibilibus corporeis, praecipue quia in eis remanet etiam virtus memorativa. Ideo tales animae separatae a corpore mediante virtute cogitativa, & memorativa, quae remanserunt in substantia animae cognoscunt, & imaginantur ista inferiora: Imaginantur enim hominem mortuum, in quo prius ipsae ante mortem reperiebantur, & imaginantur illum hominem, & corpus suum, quod informabant secundum formam, & figuram, secundum quam prius erat, & tunc post mortem, si sunt non beatae, imaginantur dolores: quos imaginabantur secundum semitam cruciatus poenae sensibilis in hac vita, & imaginantur non solum has poenas, & hos cruciatus sensibiles, quos in hac vita senserunt, & experientia cognoverunt, immo etiam imaginantur & cognoscunt veram poenam, & verum cruciatum eis convenientem pro demeritis suis. Et in summa, animae separatae a corpore. imaginantur bonum, vel malum dolores, & delectationes secundum quod in hac vita erant habitatae. Si enim animae separatae a corpore fuerint beatae, tunc imaginantur delectationes sensibiles, & non sensibiles, quas imaginabantur, dum essent in corpore. Et imaginantur etiam, & cognoscunt veram foelicitatem, quam in hac vita perfecte cognoscere non potuerunt. Si vero animae fuerint malae vitiosae damnatae ad poenam, tunc imaginantur secundum contrarium: imaginantur enim dolores sensibiles

DE ALMAHAD

cognitos in hac vita, & alios dolores, & cruciatus non sensatos, ut dictum est. Et talis imaginatio dolorum, aut delectationum, quas diximus, est poena sepulturae, aut delectatio in ea, scriptum est enim in libro Alcoran, quod animae separatae a corpore delectantur, aut cruciantur in sepultura corporis sui secundum merita aut demerita. Dicit ergo Avicenna quod imaginatio praedicta est praemium, aut poena animae in sepultura. ET DIXERUNT & c. Avicenna volens imponere finem operi connumerat diversas opiniones de Mahad sermone succinto compendioso, & eas confutat. Et litera patet.

SERMONES autem metaphorici & c. Vult inferre Avicenna, quod propter varios sermones metaphoricos in libris prophetarum varie ac diversimode intellectos causatae sunt diversae opiniones de Mahad. Sed quod dicit scilicet dispositiones paradisi, & mulieres, & quae currunt hoc cursu, loquitur secundum quod scriptum est, in libro Alcoran propter vulgus, ut supra dictum est.

QUOD autem affirmavit Ebencora philosophus clarissimus non potest verificari, nisi verba sua sint sub engimate dicta. Litera patet.

FINIS DECLARATIONUM LIBELLI AVICENNAE de dispositione animarum post mortem earum separationem a corpore collectarum ex auctoribus Arabicis per Andream Bellunensem Phisicum.